MELISSA RELIGIONIS PONTIFICIÆ.

Eiuſdemque Apotrope.

Elegijs decem concluſa.

Superbia appetitum habet vnitatis, & omnipotentiæ. AVG.



LONDINI,
Impenſis *Nathanaelis Butter.*
1620.



HONORATISSIMO VIRO, ROBERTO NAVNTONO, Equiti aurato, ſereniſsimæ Regiæ *Maieſtati à Secretis, &* Conſilijs Sanctioribus.

MVlta ſunt (Nauntone *Honoratiſsime*) *quæ Papiſticæ religionis fidem minuunt, muniunt noſtræ. Et certè miſerum eſt in re religionis animum aliquandiu quaſi ferrũ inter duos magnetes habere penſilem, neq; maturè de fide orthodoxa* πληροφορεῖσθαι.

Mihi cum animum ad ſtudia Theologica adiecissem, & in quæſtiones de fide controuerſas, incubuiſſem: Papiſmus haud obſcurè viſus eſt pompatica quædam Monarchia, quam genuit ambitio, fouit ſuperſtitio, roborauit tyrannis, propagauit & auxit tam Mammona Seculi, quam fallacia pſeudocleri.

Hanc non religionem, ſed religionis relegationem, multi

viri doctissimi scriptis suis exagitârunt. Iam si placet numeros induat, atque ita ad te meo nomine condemnatior accedat.

Theodoritus author est Ephrem quendam Syrum ea vario carminum genere olim complexum esse quæ ad pietatem pertinerent, vt sic auidiùs expeterentur. Idem de Apollinario testantur Socrates & Sozomenus, de Basilio & Nazianzeno, Gregorius Nyssenus.

Temporibus proximis, Eobanus Hessus, Beza, Buchananus, alijque complures (τῷ τερπνῷ ὡς ὅπλῳ τῆς ἀληθείας χρώμενοι) se ad Psalmos Dauidis versibus illustrandos, accommodârunt.

Μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος (quod dixit Pindarus) si hos imitatus, hoc ἀμφήριστον Religionis argumentum carmine sim complexus.

Doctissimi psalmorum interpretes, psalmôrum libellum dulcissimũ Spiritus Sancti poëma appellant, causasq́; afferunt, cur tantum Ecclesiæ thesaurum Deus optimus maximus (οἷον ἀλοιφῆς τι δέλεαρ) numeris astringi voluerit. Quin & illud constat, Satanam (vt est operum Dei μιμητής) oracula, quæ olim per Pythones reddere solebat, versibus inclusisse, vt isto modo sciscitantibus essent acceptiora. Taceo iam quod beatus Paulus ex Poëtis Arato, Menandro, Epimenide testimonia quædam citârit: non ex alio (quod tam liquido sciam) Scriptore ethnico.

Olim de Pneumatosarcomachiâ seu Christiani hominis militiâ, de Christianorum Martyrijs, de vitæ miserijs nonnulla sum commentatus. Ex eo tempore Musas meas cum Nazian

zeno

zeno Γρίφους ἐν ἀσπίδι Χριστοῦ περιπλέκεσθαι ἔθηκα: *dumq; Theologorũ diatribas lego, ac intercisis horis quæ lego, recolo; ſubinde me mente ac voluntate in verſum conijcio, iſtoq; modo memoriæ malefidæ (qua poſſum) conſulo.*

Huiuſce laboris mei fructum tibi dicatum & conſecratum volui (Nauntone *clariſsime) quem quidem ego (ex quo aliquid ferè nôſſe poteram) optimè noui diſciplinis humanioribus omnibus inſtitutum, imbutum, ornatum, conſummatum; vt minimè mihi ſit ratio* Secreta *cur à* Secretis *ſis præcellentiſſimæ* Regiæ Maieſtati. *In hoc autem poëmate cupio Amori (quo me ſemper complexus es) conſignatum eſſe obſeruantiæ in te meæ, fideiq; quam defendo, quamq; tibi perſuaſiſsimam eſſe ſcio, mnemoſynum ſempiternum.*

Dabit autem Humanitas tua mihi veniam, ſi vt acrior ſim paulò Ἀντιχριστοφόντης) *alicubi commutatis verbis ac ſententijs idem dicere videbor: cum mihi iam tum ab initio operis ſuſcepti in animo fuerit, ex multis authoribus* ἀνθολογεῖσθαι, *neq; ſolùm varia, ſed & variè ſcribere: ipſam autem Papiſmi vim, non tam amplam, quàm vaſtam reddere.*

Ante omnia me animus inceſsit, intolerandum illum ac deformem faſtum Pontificium pro virili contundere, quo, nuper arietârunt in Principes terræ, ipſi reuerà nihil aliud quam terræ filij, & proles verè Titania.

Neq; ſanè hic pigmenta aliqua aut figmenta poëtica quiſquam expectabit: pluris ſiquidem mihi fuit in Meliſsâ mea concinnanda racemus Theologiæ, quàm vindemia rei poeticæ.

Epiſtola Dedicatoria.

In Authorum verò nominibus margini appingendis, ambitioſulus videri nolui. Scribo iſta (quod dixit Auguſtinus) volenti legere, & valenti intelligere; quiq; hæc omnia mecum vel ſtatim cognoſcere, vel facilè poterit recognoſcere.

Ad ſummam: de Papiſticâ religione habes hîc neq; pauca, neque omnia. Libellulo meo mittat qui volet libellum repudij: ab Honoratiſſimâ interim humanitate tuâ certus expecto, ἀντὶ τῶν δεδομένων χάριν, ἀντὶ τῶν παραλελειμμένων συγγνώμην.

Dignitatis tuæ ſtudioſiſſimus,

GEO R: GOODWIN.

Argumentum poematis.

Incubuit Satanas ouo, quod tempore partus
Erupit faſtu ac fraude, dedítq; Papam.
Quàm fatuè faciunt qui rumpunt Aſpidis oua?
Id *Romæ* fecit pompa, Papámq; dedit.

Aliud.

Affectata Papam ſupremæ gloria ſedis
Præcipuúmq; dedit, præcipitémq; dabit.

In Papatum.

Metropolita fuit nuper Romanus in auge:
Iam perigęa tenet, iam cecidiſſe timet.
Vaſta Papæ, vaſtata Dei, ruet igne poteſtas
Móxq; cinis fiet, quæ modò ſylua fuit.

Aliud.

Creuit, honoſq; Papæ decreuit: & inclyta Roma
Floruit, at campi flos breuis ille fuit.

Summa doctrinæ Papiſticæ.

Summarum ſumma eſt conſummatiſſima, ſummo,
Summatum fidei ſupposuiſſe Papæ.

ELEGIÆ.



ELEGIÆ.

1. *De Papæ primatu.*
2. *De Romani Pontificis authoritate.*
3. *De Sacræ Scripturæ interpretatione.*
4. *De Doctrinæ impuritate in Pseudecclesiâ Romanâ.*
5. *De blasphemo meriti commento, & operibus supererogatorijs, Christo derogatorijs, &c.*
6. *De commento Transubstantiationis.*
7. *De morum corruptelis in vrbe Româ.*
8. *De lucrosâ, sub Papatu rerum omnium nundinatione.*
9. *De horrendâ scelerum omniũ licitatione, & puluerariâ apud Anglos proditione.*
10. *De sacris reliquijs, traditionibus, multisq; inuentis mirabilibus.*

De



De Papæ primatu.

ELEGIA 1ª.

ARGVMENTVM.

ROMA *ferè id satagit, quò summus, & vnus, & exlex,*
Sitque Hierarcha potens, sitque Monarcha PAPA.

ROma stupor mundi, mitratæ Scena cohor-
Imperij primas Pontificalis habet. (tis,
Hîc Papa pro certo Petro successit: & illud
Tam liquet in tenebris, quàm mihi luce liquet.
Hîc cathedra à Petro fundata est Pontificalis:
At res plus famæ, quàm fidei, illa tulit. (strum,
Tergeminum inuehitur monstro septemplice mon-
Cui rutilante triplex fronte coruscat apex.
Chrysolitho meretrix Babylonica fulget, & auro:
Coccineum numen, relligiosa Lupa.
Hei Petrum & Paulum tenues, auroq; carentes:
Vt vos nunc proauos dedecet esse Papæ?

Syluescit ramis, truncoque extuberat ingens
  Auctus in immensum Pontificalis honos.
Seruus seruorum iam fit dominus dominorum,
  Nec bipides inter nouit habere parem.
Definire Papam nescit dialectica: in arctis
  Ille categorijs temnit habere locum.
Cum non sit, qui scit: desit, qui dicere possit,
  Quæ, quanta, & qualis, sit politia Papæ.
Omnibus à reliquis Romana potentia differt:
  Omnibus è reliquis non habet illa genus.
Nec papa ferre parem, nec Roma superba priorem,
  Ille viris præstans, vrbibus ista potest.
Surgentem titulis, turgentem Numine sedis,
  Ecce tibi Oeconomum, Præpositumque Dei.
Pompificè ingreditur, cœlumq; hinnitibus implet,
  Insano fastu concomitante Papa.
Pontificum Tetrarcha, Monarchicus iste Colossus,
  Regnat in ostentum, terriculumque Gregis.
Diuitias peperit pietas: sed filia matrem
  Iandudum letho censibus aucta dedit.
Sacris Mysta præest, tractans Sacra Mystica, Sacrum
  Cui nihil est auri sit nisi Sacra fames.
Gaudet inaccesso Petri Successor honore.
  Vix alius Decimas huius honoris habet.
Magnus sedis honos, sed Sedi præstat honori
  Esse: quod haud præstat (Roma) toparcha tuus.

At cur eſt vni ſucceſſum in Munere Petro?
Cur reliqui extorres Sedis honore carent?
Pauli nulla, frequens legitur reprehenſio Petri:
Cur quicquam Paulus ceſſerit ergo Petro?
Saltem quem ſupra reliquos dilexit IESVS,
Ille ſuper reliquos primus honore foret.
Ah nunquam inceſſit gemmis ornatus & auro,
Enſiferi phaleris, clauigerique potens:
Coccineam indutus trabeam, radiante coronâ
Conſpicuus fulgens Perſico honore Petrus.
Presbyteris Petrus voluit compresbyter eſſe:
Presbyteris Princeps arrogat eſſe Papa.
Non habitum Petrus ſubmiſſum in Centurione,
Succeſſor Petri in Cæſare ſæpe tulit.
Primatum Petro tulerat ſubmiſſio Petri:
Atque præeſſe Gregi mente ſubeſſe fuit.
Piſcator Petrus, Bellator puſio Petri:
Petrus humi ſtratus, non cathedratus erat. Lucæ 5. 1.
Quid Paulus? Chriſti ſeruis ſe accenſet: an illo
Maior Apoſtolicus Dux Gregis vllus erit?
Paulus item vinclâ in Chriſto celeberrima iactat,
Ergo ſit Auſonius maior vtriſque Papa.
Cœleſtis regni, ſed non terreſtris habebat
Chriſtus, & à Chriſto tradita feuda Petrus.
Si regno hîc caruit Chriſtus: regnine regendi,
Quod ſibi non habuit, tradidit ille vicem?

Num claues regni cœlorum, more nouato.
Terreni poſſunt regni aperire fores?
Tam craſſo illudens qui phaſmate decipit orbem,
Deſipit & ſenſum mente carentis habet.
Heu ignis fatuus vaniſſima gloria mundi,
Vt varium à Chriſti tramite ducis iter?
Eheu, non Chriſti, ſed Mundi ſcandala vitant,
Qui tam Mundanis Senſibus eſſe ſolent.
Præſcribit Chriſtus, proſcribit dogmata Chriſti
Prochriſtus: Chriſti num gerit ille vicem?
Ius tituli, aut iuris titulum, quo iure tenebit,
Qui præter laruam, nil titularis habet?
Vt titulo gaudet qui rem decoxit auitam:
Sic ſine re vano gaudet honore Papa.
Qui Chriſtum Romæ ſimulat, Satanalia viuit:
Atque Deum factis, quem colit ore, negat.
Sæpè Petri in Cathedrâ malefidus Apoſtata Sedit,
Quem fateare Papam, diffiteare pium.
Scilicet vt piſcis qui petræ concolor hæret,
Hac alios piſces Polypus arte capit:
Sic Petrũ, & petrã ſimulans, Chriſtumq; ſubornans,
Decipit incautos Pſeudopetreia fides.
Fundamenta latent, tecti faſtigia cerno,
Quale ſit hoc technæ Pontificalis opus.
Argumento patent, Satanæ veſtigia ſpecto,
Quis ſit in hac fictâ relligione Scopus.

Iam verò imperium Prochristi disce Monarchæ,
Quod Christi ex dono vendicat ille sibi.
Cœlestis Prorex, Petri germanus ΑΠΟΡΡΩΞ,
Munus habet Christi, fulget honore Petri.
Pontificum princeps, cancelli immunis, & exors,
Terrenum Numen, prodigiale bipes,
Entia transcendens, indemonstrabile quantum,
Arrogat imperio Solis vtranq; domum.
Prochristus, Christúsue minor, Christúsue subalter,
Cum Christo imperium ritè capessit idem.
Sub Christo, in Christo, pro Christo Summa pote-
Tradita Petreio est, clauigeróq; Patri. (stas
Sic scripsit *Stapletonus*, amans amensq, Papismi:
Impar congressus (magne *Iuelle*) tibi.
Et quidni nomen Papa tetragrammaton omni
Sit dignum (tanquam Numen) honore coli?
Subsolarem Elohim, sublunarémq; Tonantem
Haud scio cur nequeas nominitare Papam.
Ad montes oculos (inquit Mons iste) leuaui;
Auxiliúmq; mihi Numinis inde venit.
Pontifici totus Romano subditur orbis.
Certa (nisi hoc credas) ima gehenna tibi est.
Vt Deus obtutu videt omnia prouidus vno:
Sic dextrè hic totum solus ouile regit.
Nauclerus Cleri (dum Nauem Ecclesia Christi
Sancta refert) solus temperat arte ratem.

Agnita Romani cui non ſit fiſtula Fauſti,
Ille Gregis Domini non ouis eſſe poteſt.
Dimenſa eſt alijs, Pro christo immenſa poteſtas:
Summa Papæ, reliquis Summula cuiq; ſua eſt.
Tarpeio paret Prouincia vaſta Tonanti,
Tam ſpacioſa loco, quàm ſpecioſa throno.
Vt tenuem abſorbet rorem mare gurgite vaſto:
Sic regimen maius deuorat omne minus.
Ergo duces ómnes populi, Chriſtíq; miniſtros,
Paſtorumq; Greges ſub ditione tenet.
Pauperis eſt numerare pecus: ſupremus ouilis
Curio tot paſcit, quot numerare nequit.
Quin & Concilijs maior, Cleríq; Senatu,
Præſul hyperbolicus regnat in æde Dei,
Concilijs iudex, actor, reus, vnus, & idem,
Nuper erat Dominus Coſmopolita Papa.
Centimanus Romæ Briareus, ac bellua Lernæ,
Nec capitis metas, nec ditionis habet.
Sed quid concilijs opus eſt, quando omnia rectè
Definit Sancti Sanctio Sancta Papæ?
Quin ſine concilijs rectâ ilicet itur ad vnum?
Vnum, qui punctum iudicij omne tulit.
Scilicet hic ſolus fidei Symplegadas omnes
(Concilijs miſſis) expedijſſe poteſt.
Ad cathedram, Petri acceſſum nequit error habere:
Sed cathedram Petri conſtat habere Papam.

Et

Et quamuis peccare potest, errare nequibit
In cathedrâ sedeat si speculante, Papa.
Si Balaam & Caiphas dixerunt vera Prophetæ: Hardingus
Est Papa veridicus, sit licet ille malus.
Quin si Pilatos, vel Iudas vicerit omnes:
Perfidus haud ideo deserit ille fidem.
Iurauit mendax, iurando sæpe fefellit:
Non tamen errauit lubricus ille fide.
Testis Alexander, testis Papa Iulius: istis Alex: 6. Iulius 3.
Fictáq; facta fides, factáq; fracta fuit.
Quis quæso vt vulpes intrauit Pontificatum, Bonifacius 8.
Regnauitq, Leo, deposuitq; canis?
In Christi caulam qui sic intrauit, & aulam:
Hospes, an hostis atrox? fur, opiférve fuit?
Sergius Os Porci (quasi commissarius Orci)
Vappalis cathedræ scomma pudorq; fuit.
Ille Pius Quintus foris atrox, haud pius intus,
Reginam in Britonum quàm furiale tonat?
Tertius Vrbanus (dictus Turbanus Abaddon
Quæ bella excîuit, quale Papale Chaos?
Et quales Mundo furias, quas mouit Erynneis,
Heldebrandini fastus honosq; Papæ?
Conclusit Satanam Christus: turbator in Orbem
Conclusum emisit (Roma) Dynasta tuus.
Mox abeat pessum ne Christi Ecclesia, credo
Quenq; Papam properè (morte citante) mori.

O quantum hic Præſes iam Principe diſtat ab illo,
Qui clemens, humilis, mitis, egenus erat?
Scilicet hic magni generalis Epiſcopus orbis
Neſcio quid Chriſto maius habere cupit.
Quippe caput fidei Chriſtum vix legeris vſquam;
Se tamen Archipater vult fidei eſſe caput.
Inter Pontifices (ſic Torti torſio torſit)
Eſt Chriſtus magnus, maximus eſtq; Papa.
Nil eſt quod Latio pudeat deferre Tonanti
Maſtigias Domini, Stigmaticóſq; Papæ.
Sola ſuperlatiua Papam, *Sanctiſsimus*, atque
Maximus, & Summus: non poſitiua decent.
Magnus *Alexander*, *Pompeius* magnus, itemque
Carolus eſt magnus: *Maximus* iſte cluet.
Sancte pater dixit Chriſtus: *Sanctiſsime* dicit
Attonita Auſonio turba Latina Patri.
Non decet hæc minui, verbiſq; minoribus vti.
Meiωſis Domino non fauet vlla Papæ.
De titulis Petri non vnum tranſit Iωta:
Nec de laude Papæ præterit vnus apex.
Romipetæ inſani venerantur poplite flexo
Pontificis ſedem, Pontificiſque pedem.
Sic non primatus, ſed ſupremtus honoris
Quæritur. Æqualis fit Papa pœne Deo.
Pontificis titulos Romani Si bene penſes:
Omnipotentatus pontificatus erit.

Auguſti

Augusti Solij columen, regiménq; regentum,
Arripuit Latius Protolevita sibi.
Servorum Servus Reges superéminet omnes:
Qui negat, hanc amens hæresin igne luat.
Tam vile & Servile caput, capita omnia Regum
Imperij cogit triste subire iugum,
Rex ouis est tantum, pastor Papa: nonne necesse est
Vt sua Pastori subijciatur ouis?
Atquî Christus oues cum Petro traderet olim,
Pasce meas dixit, non (puto) pasce tuas.
Pascere dicuntur Reges: si pascere Reges
Dicantur, quæso, quin Papa fiat ouis?
Num venit Christus violatum iura Potentûm?
Vtque suus tonsus Regibus esset honos?
Omnia sunt Regum tenui pendentia filo,
Si regimen Romæ tale Magister habet.
Omnia sunt Regum funesto obnoxia fato,
Sub pedibus Mitræ si diadema cubat.
Heu quas ob causas tandem, quo Numine læso,
Sceptra luunt Regum fulmine tacta Papæ?
Quid cum Rege Papæ? quid cum Diademate Mitræ:
Cum mucrone Petro? cum ditione pedo?
Num tam celsa Papæ est, superátq; cacumina Regũ
Scala? nimis celsæ est ima gehenna basis,
Non bona priuatis, sed Regna Regentibus aufert
Nescius exiguis Rebus hiare Papa.

Quæq; Thronis Reges exterminat hæresis: atquî
Exuit haud alios hæresis vlla bonis.
Romanus Molech, & Dagon Pontificalis,
Insignis Satanæ Bassa Pugilq; Papa:
Alpha Sacerdotum, gestat pro clave Machæram:
Nec gladio hic oris, sed gladij ore ferit.
Hiccíne sit verbi præco, doceatq; popellum?
Ah magis, & maius, quod meditetur, habet.
In Lebano Cedros succîdit, Montibus Ornos
Deijcit, & stellas detrahit orbe suo.
Nec Capitolinus nunc tantùm Iuppiter audit:
Sed Capitolinus Mars auet esse Papa.
Plagosus Regum *Orbilius*, dum dira flagello
Insonat, horribili Regna timore quatit.
Qui sit mentitur Paulúmve, Petrúmue, Tyrannum:
Perfricuit frontem, prostituitque fidem.
Terrorem iniecit populis, non religionem,
Qui se sub te vult (Christe) præesse tuis.
Illius imperium est animarum pabulum amarum,
Quo temerantur oves, non tenuantur opes.
Vstio Prochristi est, Christi fuit vnctio: vulnus
Molliùs iste fovet, sæviùs ille fodit.
Sponsa Dei, sunt facta tibi zizania fruges,
Dum tuus Oeconomus Rex cupit esse tuus.
Qui sedet in cathedrâ, non desidet. At Gregis illi
Passio nulla diu, pastio nulla fuit.

Huic

Huic opus, huic ſcopus eſt Primatus regna tueri:
Cætera nil ſatagens Erga parerga putat.
Sic de ſublimi quaſi culmine deſpicit omnes
Infra ſe poſitos, Myrmidonaſq; putat.
Parte quotâ, Mitráq; tenus ſupereminet omnes:
Imponens capitum Montibus ima pedum.
Quin & quò conſtet ratio pulcherrima facti,
Suadet id à ſimili iure licere ſibi.
Cæſar apum, Rectorq; Gruum, Ductorq; bidentûm,
Nonne probant hominum quenq; ſubeſſe Papæ?
Hac primus Mundi Primas, magnúſq; *Typhœus*
Pontificum, primas Vendicat arte ſibi.
At proprio mucrone caput truncare *Goliæ*
Molior, & criſtas ſurripuiſſe Papæ.
Nam quidni præſit Rex Regibus omnibus vnus?
Cur non Ductorum eſt Dux, capitumq; caput?
Cur Chriſti in regno eſt caput aſpectabile, quando
Regnum (Chriſte) ſubeſt ſpirituale tibi?
Nempe ſupervacuus, Cleríq; ſuperfluus vmbo,
Affingit Regnum prodigiale Deo,
Vt capita Vnius ſint diſſentanea regni,
Impoſitum cœlo, præpoſitúmq; Solo.
Inter hoc atq; illud magnum Chaos: an coaleſcent
Spirituale Dei, materiale Papæ?
Non regnum Chriſti eſt regnum ſpectabile mundi,
Officiale gerens, Organicúmq; caput,

Nec bigama eſt, aut Sponſa biceps, eccleſia Chriſti:
Æternùm ſoli iugitur illa Deo.
Si (quæſo) furiale caput Prochriſtus haberet:
Num foret in Chriſti corpore tale caput?
Quinetiam ditata Dei eſt eccleſia donis,
Et dotata bonis, non niſi (Chriſte) tuis.
A Chriſto accepit ſi Sponſa Eccleſia dotem:
Qua tu dote nouâ (Præſul egene) beas?
Túne caput Sponſæ? tum certè Eccleſia corpus
(Quod nimis inſulſum eſt) debuit eſſe tuum.
Et Papa ſi caput eſt, Eccleſia decapitata eſt
(Acephala, vt Dagon) deficiente Papâ.
Nam caput vt moritur, Mors corporis occupat ar-(tus.
Deberétq; Papa Grex moriente mori,
Id minùs in Chriſti ſi morte euenerit olim:
Nempe caput Chriſtus ſpirituale fuit.
Sic litis cauſſæq; tuæ cognoſce ruinam,
Ambitioſe Pater, Coſmopòlita Papa.
At verò victus vires à vulnere ſumit
Italus Antęus, remq; animoſus agit.
Diſputat, & ſolitus rationi cedere nulli,
Argutè ſtolidus cum ratione furit
Si caput eſt Paſtor, Paſtorum ſi Papa Paſtor:
Nonne caput capitum dixeris eſſe Papam?
Hæc rata, non ratio, ſed deliratio, ſuadet
Primatum Auſonij Præſulis eſſe nihil.

Ecquis enim paſtor paſtoribus omnibus (vno
Excepto Chriſto) commodus eſſe poteſt?
Eccui conſtiterint capitis capitolia tanti,
Vnus homo vt capitum tot queat eſſe capax?
Delirat læſo fatuæ phantaſmate mentis,
Qui tale informat, ſubſtituítq; caput.
Nam ſupra eſt, vltra eſt, contra eſt faſtigia captus
Humani ex capitum grande cohorte caput.
Forſitan & caput hoc (nec forſitã hoc mihi vanũ eſt)
Sordibus vberibus, tuberibúſq; tumet.
Enormis pars eſt, quæ non eſt congrua toti:
Párſq; grauis toti congruet iſta ſuo?
Sic fulcro, Authoris ſtructura infirma vacillat.
Reſq; ferentis opem fracta labaſcit ope.
Indignum facinus, quod ſemper abominer: & quo
Oppoſitum poteret nil magis eſſe Deo.
Petri exlex hæres, Icon pſeudonyma Chriſti,
Præſtigijs Satanæ, prodigijſq; potens, (deptum,
Monſtrum informe, enorme, ingens, cui Numen a-
Próq; Deo, vtq; Deus regnat in æde Dei.
Peccati manifeſtus homo, tibi pérq, duellis
(Chriſte(quid auxilium præſtat inane tibi?
Quid pelago fluctus? quid luco ligna miniſtrat?
Quid tibi (Phœbe) facem? quid tibi (Numen) opẽ?
Qui facit hoc Romæ, Chriſtoq; obtrudit opellam,
Ridiculæ prę́ſtat Sedulitatis opus.

Prodiga Romani prælatio Pontificaſtri
Nil agit, aut nugas, aut malè, quicquid agit.
Miror ſuppetias magno non ferre Tonanti,
Vt molem Mundi torqueat huius ope.
Clauis iners, formale pedum, tricriſta tiara,
Et ſæpè officiens officioſa manus:
Hæc ſunt hæc Latij genuina inſignia Patris:
Principis hoc proprium Spiritualis opus.
Ah ſilicem pro fronte gerit, pro pectore cautem,
Qui negat hunc Chriſti corporis eſse caput.
Nimirum acropoli capitis iunguntur in vnâ
Præſidium Cleri, Subſidiúmq; Dei.
Agnus (Chriſte) Dei qui ſeptem lumina pandis,
Apoc. 5.6. Quid tibi cum capitis lumine (Chriſte) novi?
Non eſt (Chriſte) tui de Mundo gloria Regni.
Spiritus in Mundum Regna malignus habet.
Ergo ſub hoc potiùs potuiſset Principe Mundi,
Sub domino Chriſto quàm caput eſse Papa.
Lucifer eſtne caput, deſitq; vicarius illi?
Illius gereres iure (Superbe) vicem.
O quoties capitum Romæ diuortiæ facta?
Quótq; ſimul Pugiles vna cathedra tulit?
Diſſidijs quoties cacodoxa Eccleſia ſciſsa eſt,
Facta biceps geminis, tergeminúſq; Papis?
Sæpius hic vtero diſcordem Eccleſia fœtum
Senſit in Antipapis, pſeudopapíſque Papis.

Sæpe

Sæpe Equitem excuſſit (ruptâ cervice ſedentis)
Ad cathedram properans ambitionis equus.
Sciſsáq; quam iactant varijs ſucceſſio rixis,
Sæpe cathedratæ Sedis hiulca fuit.
De capitis titulo, de primæ Sedis honore,
Tanta putatiui bella dedere Papæ,
Veſana ambitio, Titij iecur vſq; renaſcens,
Quale malæ fraudis dira coëgit opus?
Extendendo nimis ſe rumpit pompa Potentûm.
Interitumq, ſui tuber & vber alunt.
Scilicet his Paſtor ſupremus præſidet vnus:
Nec tunicam hîc Chriſti diſsona ſcindit Eris.
Quinetiam hîc templũ Concordia ſtruxit: & hîc eſt
Cor vnum, vna fides, vna via, vna ſalus.
Heu ſed quale caput tibi (ſancta Eccleſia Chriſti
Extitit, alma fuit quando Papiſsa Papa?
Fœmina cum octauum mentita *Iohanna Iohannem*,
Mœcha palam pareret turpe merentis onus?
Iſta Iohanna fuit Latialis Epiſcopa: Verùm
Non caput, at Sancti cauda, pudorq; Gregis.
Tu iam Romanos ne Patres dixeris eſse
Omnes: nam mater, non Pater, vnus erat.
Heu dirum fati portentum, oménq; ſiniſtrum:
Illa Papæ illuxit non ſine nube dies.
An potuit mulier meretrix ſuccedere Petro?
Androgynus potuit Sanctiùs eſse Papa.

At


At Papa fortaßis, qui vir fuit antè, repente
  Mutato Sexu fœmina factus erat:
Dialogo 1° pag. 47 Sic ſcripſit *Copus*, cui parca eſt copia captus:
  Vixq; (puto) potuit plus ſapuiſſe capus.
Hæc eſt, hæc ipſa eſt Ecliptica linea, tranans
  Per cœlum Auſonium, Zodiacúmq; Papæ.
At meretrix ſaltem debebat honore cathedræ
  Excludi Salicâ relligione Papa.
Hoc factum iam Roma negat: ſed cætera verè
  Qui ſcripſit, verâ ſancit & iſta fide.
Iam verò rurſus Papa ne ſit fœmina, ſignis
  Ante fide dignis ſe probat eſſe marem.
Magne Sacerdotum *Gargantua*, num tibi Chriſtus
  Eſt caput? eſt (inquis.) Num tibi tale caput
Sufficit? Affirmas. Quòd ſi tibi ſufficit: oro,
  Cur mihi non ſatis eſt, quod tibi rere ſatis?
Si ratio fauet vlla tibi promiſcua, & hoſti
  Æqua tuo, ratio militat illa mihi.
Sileno hîc titubat iumentum: nec rationem
  Expedijſſe poteſt phaſmatis ipſe faber.
Ergo dehinc Romæ Numen, Præſúlq; tricornis,
  Prodigioſus eris pſeudomonarcha Papa.
Et Capitolinus capito cenſebitur orbi
  Nil niſi tranſcendens Pontificale caput.
Aut cumulus, capitúmve chaos: néq; ſomniat vllus
  Tale Poëta caput, tale poëta Chaos.

Quale


Quale ioci Dominus ius ſumit tempore feſto,
  Talis erit Dominus, ius quoq; tale Papæ.
Lux, oculus, cor, vita, ſalus, in corpore Chriſti,
  Tam de iure potes, quàm caput eſse Papa.
Fundamentum aliud ſi nemo ponere poſſit:
  Nemo aliud poterit ſubſtituiſse caput.
Poſt inter cæcos regnabis Luſcus, eriſq;
  Acephalus Dagon decapitate Papa.
Cúmq; immane caput Bubonibus omnibus vnum
  Lucifugijs fuerit: tu caput orbis eris.
Nemo Patrum dixit (ſit priſca Eccleſia teſtis)
  Quenquam hominũ Chriſti corporis eſse caput.
Dona dedit Chriſtus quibus alma Eccleſia gaudet:
  Dona ſed hîc Domini nulla fuere Papæ.
Sunt apud antiquos fidei tria Symbola: verùm
  Hîc capitis ſummi mentio nulla cluet.
Nec quiſquã meminit quicquã (qui Symbola ſcrip-
  Sedis Apoſtolicæ, Protopapæue Petri. (ſit)
Aut Archiua Papæ nemo Regalia vidit:
  Aut viſa invidit, ne manifeſta forent.
Qui caput ergo fuit, mox orbis fabula fiet
  Furtiuis plumis orbus, inópſq; Papa.
Deſine (inepte) facem Soli præferre micanti;
  Prochriſtóq; Papâ nil opus eſſe puta.
Res ſemper ſupremæ caput. Conſortia ſummum
  Reſpuit. Ergo nequit ſub capite eſſe caput.


Fabula de Petri Dominatu ſponte liqueſcit.
Et cathedram Petri vana ſuſurrat anus.





De







De Romani Pontificis authoritate.

ELEGIA 2a.

ARGVMENTVM.

Oceano claustrum est, & cœlo terminus: atqui
Septa potestatis nescit habere Papa.

ANtistes toti Romanus præsidet orbi.
Ille vagi imperij libera frœna tenet.
Nulla Papæ non (teste Papâ) concessa potestas.
Illius imperium fasq; nefasq; facit.
Dat, rapit, exarmat, ditat, depauperat, ornat,
Fœdera rescindit, bella cruenta ciet:
Infrendet, sæuit, Mauortius omnia turbat:
Et gladio ambiguus Præsul vtroq; ferit.
Cuncta tamen licitè: quoniam generale supremi
Præsulis imperium nil nisi iure facit.
Vertens, invertens, pervertens omnia rectè,
Non violare potest iúsq; piúmq; Papa.
Scilicet hic totum generalis Episcopus orbem
Iure Diocesin dixerit esse suam.

Dogmaticè cecinit Fastorum Naso secundo:
Romanæ spacium est vrbis & orbis idem.
Extra Naturæ causas, ipsissimus ipse,
Collegam aut legem nescit habere Papa.
Vrbis & orbis hic est coryphæus Episcopus: ipsis
Nubibus insinuans, Sideribúsq; caput.
Æqualem nescit sub Christo agnoscere quenquam
Culmen Apostolicum, Pontificalis apex.
Sic capit, aut reddit Romana cathedra superbos:
Et solitâ hîc Titan ambitione tumet.
Quod placet, esse piũ: quod non placet, esse piandũ,
Arbitrio statuit Pontificante Papa,
Fulminibus terras, furijs Acheronta mouebit,
Ni quæcunq; facit, facta licere putes.
Exlegis Regis sub leges mittere Sensus,
Est magnus, maior, maximus ille labor.
Iustitiæ rector, legum dator, arbiter æqui,
Nil nisi quod liceat, collibuisse potest.
Oceano terras si misceat, & mare terris:
Fas est, quod Caiphas non putat esse nefas,
Diruat, ædificet, ius fixum in mobile soluat:
Non quisquam hîc quicquã quod quæritetur ha-(bet.
Ecce Papa in mundum venit lux altera mundi,
Sed tenebras plusquàm lumina Mundus amat.
Scilicet ad Petri quisquis decurrit honores,
Non facit ille Papam; qui colit, ille facit.

Hic

Hic ſe mortalem mortalibus omnibus vnum
Regiè & Egregiè præpoſuiſse poteſt.
Hic poterit digito monſtrari, & dicier hic eſt
Conſpicuus Chriſtus, Viſibiliſq; Deus.
Huius opes Regum ſuperant; ſuperéntq; neceſse eſt,
Neu cathedræ deſit quod ſatis eſse decet.
Huic omnes Reges debent ſubmittere faſces,
Imperiúmq; pedi Pontificale pati.
Iure bono diadema decet concedere mitræ:
Mitra Dei myſtas, non Diadema facit.
Huic inconcuſsæ conſtant fundamina Sedis,
Quam tenuit Petrus, quam poſuítq; Deus.
Huic delegatur primatus in omnia Mundi
Regna, locúmque tenet (Chriſte) vicémq; tuam.
Hic iam Concilijs non tantùm Præſes haberi,
Concilium totum ſolus at eſse cupit.
Hic Scripturarum tam pleno depluit imbre,
Hæreſis vt pereat protinus inde loquax.
Hic ſi fiatur pro fiat dixerit (olim
IVLIVS id dixit) non grauis error erit. *Iulius 2. Papa.*
Hunc qui legiſtam non dixerit eſse logiſtam
Indubium in dubijs, protinus eſto Sacer.
Huic vni cuiuſq; rei concluſio certa eſt,
Quanuis præmiſſis turpiter erret iners.
Hic adeò dextrum ſi dixerit eſse ſiniſtrum,
Aut tenebras lucem, non ſecus eſse puta.

Hic est Pontificum magnus præsultor: & huius
Quenq; Sacerdotum est Signa necesse sequi.
Impinget tibi crimen atrox, culpæq; reatum,
Ni quicquid statuat siveris esse ratum.
Tam facilè hæreticum est Latio fecisse Tonanti,
Quàm facilè est saxo comminuisse nucem.
Audiat hæreticus qui spreuerit Orgia Romæ.
Ardeat hæreticus qui mouet acta Papæ.
Hic dedignatur sub iudice vindice litem,
Sanctior & maior quàm queat esse reus.
Huic omnes debent, hunc nulli omnino decebit,
Flectere siue genu, siue aperire caput.
Huic quoniam fas est quemuis proscribere : qui vis
Scribere, de vitijs scribere parce Papæ.
Huius ope in cerâ & plumbo, Bullâq; Breuíq;
Charius emptori, carius estq; nihil.
Huic habilis comes est Archangelus vnus & alter,
Nempe potens Gabriel cum Michaele pio.
Huic vni meritò stat pro ratione voluntas :
Et iure abiurat iura creata Sibi.
Extra ius, supra ius, contra iúsque potentem
Affirmant Canones Singula posse Papam.
Ius alij dicant: Solus dat iura Latinus,
Qui cathedræ culmen Pontificalis habet.
Oceanum quæris conchâ concludere, quisquis.
Finibus includis libera iura Papæ.

Ille leui ſaltu ſupra venabula fertur,
Si metuat (tanquam Bellua Sæua) capi.
Fit via vi: rumpit robuſta repagula legum:
Nemo Papæ placitis obvius iiſſe poteſt.
Tarpeium intonuiſſe audin' Salmonea: mutus
Ne non ſis tutus) iuſsa capeſce Papæ.
Num vnæ Encelado fumant ſine viribus iræ?
Plumbea cenſentur plumea tela tibi?
Vas Satanæ, Soboléſq; iræ, foméſq, Gehennæ
Mox eris, auſurus diſplicuiſse Papæ.
Semideus Præſul, manifeſtum in corpore Numen,
Oeconomus ſummi, Iuridicúſq; Dei,
Extra hominum ſortem, mitratus Marchio mundi,
Indocilis Sceptri diſcere Septa ſui,
Symbolicus Chriſtus, Bar Ionæ poſthuma proles,
Numen habet Chriſti, fulget honore Petri.
Quinetiam ſupra Chriſtum Se Chriſticus effert:
Petreiúſq, Petrum præſul honore præit.
Se (ne Rex eſset) turbæ ſubduxit IESVS:
Regna Sibi arripuit víq; doliſq; Papa.
Chriſti corpus equo, Prochriſti corpus in alto
Fertur honoratæ Nobilitatis onus.
Regna oſtenſa tibi mundana à Principe Mundi
(Chriſte) recuſabis: ſed capit iſta tuus.
Non tibi de Mundo ditio fuit: at tuus omnem
Oeconomus Mundum ſub ditione tenet.

Dona

Dona dedit Christus gratìs sua: dat quoq; gratis
Hic sua, sed gratis (dant quia grata) viris.
In Templo Scorti mercedem Christus haberi
Noluit: in fisco gaudet habere Papa.
Expulit è Templo vænalia Christus ementes:
Intulit in Templum vendita & empta Papa.
Et quis iam dubitet (nisi totus forsitan Orbis)
Hunc Satrapam Christum præposuisse suis?
Hic fuluo Servus Servorum fulgurat auro:
Inq; Dei populum fulmina Spissa tonat.
Hac Nabuchodonosor magnus, Clerìq; Goliah,
Fulmineâ pavidum territat arte pecus.
At non (Christe) tuos armâsti his cornibus agnos:
Bella ferendo pius, non feriendo facit.
Eirenarcha Papa est? turbarum scilicet hic est
Molitor, motor, continuúsq; Sator.
Turbat aquas Mundi; turbatâ scilicet vndâ,
Piscatur meliùs nassa dolosa Papa.
Sic Regna infestat generalis Epitropus orbis:
Sic regimen summum prêndit, ademit, habet;
Prendit, ademit, habet: Meteorus at iste Sacerdos
Hîc Sibi quicquid habet, iure latronis habet.
Deponit Reges, disponit Regna, Monarchis
Omnibus imponit, supposuítq; Sibi.
Atq; hos vassallos (Satanâ duce, milite fastu)
Ore triumphali clamitat esse suos.

Nempe

Nempe Papæ inſigni gaudent conclauia claue:
Obſerat, & reſerat, Regibus illa thronos.
Ius populi in Reges ſtatuit: Regéſq; viciſſim
In Clerum ſtatuit iuris habere nihil.
Nec vi legis erit, ſed tantùm vi rationis,
Principibus Cleri ſubditus ordo ſuis.
Quod ſi fortè nequit Dictator Regibus eſſe:
Aſtipulante ſtatim plebe Tribunus erit.
Nempe creaturas populi vocat ille Monarchas,
Eius vt ad placitum ſténtq; cadántq; throni.
Si clauis Petri Petro ſubmittere faſces
Non coget, Pauli mucro coactor erit.
In lepram ſcabies, in peſtem febris abibit,
Si pater hoc Italus longiùs ire ſinat.
Ecce Leo horrificis loca cuncta pauoribus implet,
Et pecudes campi contremuiſſe facit.
Stant illi ad Menſam Proceres, ad frœna Monarchæ:
Admittítq; Duces oſcula ad alma pedum.
Proculcatori tumido Baſiliſcus & Aſpis,
(Nota Papæ vox eſt) Induperator erat.
Induperatoris manus olim penſile ferrum
Preſſit, dum ſcandit pompa Papalis equum.
Induperatori prono Diadema ſuperbus
Impoſuítq; manu, depoſuítq; pede.
Subduxit plumas Aquilæ, gemmáſq; Tiaræ
Induperatoris Latromonarcha Papa.

Euge Papam Petro quis ſucceſſiſse negabit?
Quíſve Sibi Chriſtum ſubſtituiſse Papam?
Aurea Sella, rubens ſtola, lemniſcata corona,
Pompa frequens, Mundi gloria, Splendor opum,
Stellantes gemmæ, Scintillantéſq; lapilli,
Luxus iners, victus mollis, opima quies,
Perſicus ornatus, radians caput, ardua cervix.
Frons redimita, nitens forma, coruſcus apex,
Splendidulos digitos agitare, & ad oſcula Sacros
Exhibuiſse pedes, exercuiſse manus,
Et comitum ſpectare Greges, dum turba triumphans
Clamat, *Aue Regum Rex*, patriæq; pater,
Inq; hominum ferri ceruicibus, atq; Monarchas
Emotos Solio ſuppoſuiſse Solo,
Et claues geſtare Sacras, ſummumq; tribunal
Sub Chriſto in terris arripuiſse Sibi,
Atq; ipſos Erebi Manes, cœliq; Cohortes
Angelicas, iuſſis ſollicitare ſuis,
Quinetiam Se ferre Deum, culpæq; reatum
Auferre, & pretio cœlum aperire dato,
Deniq; delicijs fluere omnibus, & Geniales
Inſano faſtu concelebrare dies,
Hæc ſunt hæc verè ſunt Sancti inſignia Patris:
Hoc retuliſſe Petrum eſt, hoc meruiſſe Deum.
Iamq; quis inficias (niſi ſanus Senſibus) ibit,
Oeconomum Summi Numinis eſſe Papam?

Hic cœlo donare ſcelus, fideiq; coronam
Perfidiæ meritis impoſuiſſe poteſt.
Proditio obſequium eſt, & coniuratio cultus,
Inſidiæq; fides, Sic ſtatuente Papâ.
Tota Salus vnâ Si publica clade perîſſet:
Illa (probante Papâ) plaga probanda foret.
Strinxerit in Patris ſi viſcera Filius Enſem:
Purus erit Sceleris, rem tenuante Papâ.
Et quia Prochriſtus dominatur legibus ipſis,
Legirupa ad placitum (crimine liber) erit.
Fit norma enormis, lex illex, regula caſſa,
Cum volet hoc exlex Pontificalis apex.
Et quanquam in Chriſtum ſit vox blaſphema, beati
Ore remolleſcet vox ea miſſa Papæ.
Ille Leo decimus, Papa Sanctulus, horridus irâ,
Quid mihi de Chriſto fabula narrat? ait.
Magnificè: Dignus tantæ pietatis alumnus
Cui mandaretur protocathedra, fuit.
At te reuerâ (Prochriſte Monarchice) conſtat
A Chriſto (titulum præter) habere nihil.
Tu pro terriculo, quo quidvis impius audes,
Gorgona terrificam Relligionis habes.
Hac Reges, hac Regna domas, hac omnia terres:
Hac inimica facis ſuccubuiſſe tibi.
Hac vtriuſq; tibi penitùs conceſſa poteſtas
Fulminei gladij (te tibi teſte) fuit.

Iungatur cum nocte dies, cum luce tenebræ,
Vnica Si gladium ſtringat vtrúmq; manus.
Omne decus fiat quod dedecus antea viſum eſt :
Si decus eſt Ephod, Si Diadema tuum.
Te verò feſtiua *Planum* ſimulare videtur
Fabula Mythologi quam tibi Sermo refert :
Cornua dum fatuus vult inconceſſa Camelus,
Auriculas meritò perdidit ante datas :
Dum Papa vult gladiū prenſator auarus vtrunque,
Reſtat vt excuſſus perdat vtrunq; breui.
Sic Sic Archetypo quod Petro cunq; reliquit
Chriſtus, id (aut fallor) conſtat habere Papam,
Petri hæres ex aſſe Papa eſt : totúſq, petriſſat.
Pontificum Princeps Coſmopolita Papa.
Nec Deus eſt,nec homo,nec vterq;,ſed inter vtrunq;
Ambiguum,amphibium, prodigiale bipes,
Semideus, Natura duplex,perſona biformis :
Tam ſimilis Petri, quàm Petrus ipſe ſui.
Hunc ſtatuit Deus ipſe, Dei Quæſitor vt eſſet :
Subq; Deo Cleri ſummus Ahaſhueroſh.
Herciſcunda fuit quo Eccleſia tempore Chriſti,
Tota Papæ ceſſit : teſte Latrone Papâ.
Huius ſunt cœli claues, Regníq; beati
Oeconomus, Sanctis dátq; negátq; thronos.
In Barathrum Inferni (nec debes dicere quare)
Innumeras animas præcipitare poteſt.

Alba nigris, antiqua nouis, quadrata rotundis
 Mutat is? aut mutis, aut tibi damna metis.
Oestrum acuis, flammámq; fodis, tondésq; Leonem,
 Si linguâ increpites liberiore Papam.
Incipiat rugire Leo, Latiúsq; Behemoth:
 Illico difflaris gurgulione Papæ,
Tum verò (at serò) quid sit contemnere disces
 Semideúmq; virum, Semivirúmq; Deum.
Quare maturè (ne ebulliat ignea bilis)
 Commodiore loco subtrahe ligna foco.
Et nondum elixo si quid tibi consulis, omnem
 Pelle moram, & properè subditus esto Papæ.
Non securus eris (credo) cum tanta securis
 Immineat capiti nocte diéq; tuo.
Sancte Pater, terrene Deus, supreme Sacerdos,
 Ergóne commisit Christus ouile tibi?
Hæccíne Petreiæ vis delegata cathedræ?
 Hócne viri officium, Servitiúmq; Dei?
Túne typns Christi es meteωre vicarie Christi?
 Tarquinij typus es, Luciferíq; typhus.



De Sacræ Scripturæ interpretatione.

ELEGIA 3ª.

ARGVMENTVM.

Cui ſemper conſtat Sacri Sententia Verbi,
Quiſq; ducem in dubijs quærat habere Papam.

SCripturæ Canonem Synodus collecta Tridenti
Sanxit in obſequium, Seruitiúmq; Papæ.
Scripturæ ſenſus Romano a Preſule pendet,
Et Capitolino ſupplicat illa Iovi.
Ni faciat: Chaos ac tenebras, noctémq; profundam
Invia Lectori Biblia Sacra ferant.
Nempe Dei vox eſt, quam nemo intelligit, aptum
Non intellectum ſuppeditante Papâ.
Conſule certa Papæ quæ ſit Rubrica: legendos
Præbeat ad textus hæc Ariadna viam.
Scilicet hic ſolus verbi eſt authenticus Hermes:
Spiritus hoc cathedram pectore Sanctus habet.

Voxq; Papæ vox certa Dei est: & nævus in vno
 Hæreseos poterit nullus inesse Papá.
De paleâ granum, testâ nucleum, osse medullam,
 Elicit arguti vis aciésq; Sophi.
Ergo Sacri Autographi quæ sit sententia certa,
 Solus hic est criticus: Scepticus alter erit.
Solus hic ambigui textus Symplegadas omnes
 (Scripturæ extispex) expedijsse potest.
Phosphorus Auroræ, quo lucem Ecclesia Christi
 Cernit & obscuræ noctis opaca fugat:
Virtutis morúmq; Pharus, pietatis amussis:
 Iuris honos, Legum Sol, Cynosura fori.
Non tam stella Magis ostendit Numina Christi,
 Quàm Papa Christicolis Mystica Sacra Dei.
Scilicet vt purâ Sol imbuit omnia luce:
 Sic hic illustrat Biblia luce suâ.
Et quoniam huic cassa est errore paraphrasis: Ergo
 Ex illo textus Entelechian habe.
Si non accendas huius de lumine lumen,
 Cæcus es, & verbi lux tibi nulla micat.
Omnis in hoc fidei Romanæ vertitur axis,
 Qui Petri est hæres, est herus ille tuus.
Quin si corrumpat glossa insulsissima textum:
 Tutò dogma tamen creditur: ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ.
Ipse ait, ipse negat, iubet ipse, redarguit ipse,
 Relligionis Atlas, Bibliotheca Dei,

At

At (si Sol astrum est) ipse est pietatis Alastor,
Impostor mundi, pseudopropheta Dei.
Ille suam gnomen, Sensúmq; didagmatis audax
Ad Scripturam affert, non pius inde refert.
Si reputes quantùm violârit Biblia Christi,
Cor, cerebrum, frontem, rere deesse Papæ.
Delphicus est gladius (Sic Romæ Delius inquit)
Reguláq; est vitæ Lesbia, Sermo Dei.
Cereus in Sensus flecti, pietatis amussis
Ambigua, & docilis deuia Sensa sequi.
Cum praxi Romæ, cum ritu & tempore currat
Lingua paraphrastæ: vox ea certa Dei est.
Testis (at elinguis) Scripturæ Ecclesia, discat
A Sacro summi Præsulis ore loqui.
Hac œcumenicus Patriarcha, orbísq; Saperda,
Exponit verbum callidus arte Dei.
Et siqua huic nimiùm concoctu cruda legantur;
Arte paraphraseos mitigat illa suæ.
O Papa doctrinæ columen, Sophiæq; magister,
Cuius honorato pendet: ab ore fides:
(Doctor Doctorum longè doctissime) mene
Discipulum Cathedræ iusseris esse Sacræ?
Certa mihi Petri est, atq; indignatio Pauli,
Ni Tripodi credam (magne Scholarcha) tuo?
Iandudum ausculto. Me actutùm oracula Sacra;
Et veram gnomen, Sensáq; Sana doce.

Sum rudis, at docilis : non indonatus abibis,
Si docilem doceas, erudiásq; rudem.
Petrum Christus oues ter iussit pascere : summum
Est Papa sub Christo (colligis) ergo caput.
Christus oues Petro pascendas tradidit : ergo
Concilij est Pręses Cosmopolita Papa.
Pascere Christus oues Petrum iubet : ergo necesse
Scripturæ Sensus pendet ab ore Papæ.
Pasce : quod est Satrapas, & princeps maximus esto,
Et sese incuruent Regia Sceptra tuo.
Pasce ; quod est cohibe, proscribe, interfice. Sensu
Scilicet hoc Petrus pascere iussus oues.
Gaude Sancte pater, Sat Petri fulta cathedra est :
Successórq; Petri es, codice teste Sacro.
Macte nouâ Logicâ, & Spartam quã nactus es orna:
Stat foris ante fores palma parata tibi.
Christus ait Petro, tu me sequere : ergo sequutus
Est Christum Sacro Petrus in imperio.
Petro firma fides excussa est turbine nullo :
Ergo Papæ eclipsin nescit habere fides.
Cœlestis Regni claues tibi (Petre) dabantur :
Ianitor est cœli clauiger ergo Papa.
Pro Petro orauit Christus : nequit ergo beati
Petreijq; patris firma labare fides.
Macta, & manduca : Petrus caput ergo necesse est :
Nam quod manducat, constat id esse caput.

Ædificata

Ædificata super petram est Ecclesia Christi:
Ergo Petrus Petra est, Petrophilúsq; Papa.
Summe Sacerdotum, redolentis Episcope famæ,
Qui regis, haud regeris, voce potente Dei:
Romanum invictis Sustentus viribus axem:
Ne properè cœlum Pontificale ruat.
Plura (bone interpres) Scripturæ examina profer,
Enucleanda mihi Palladis arte tuæ.
Exiguus radius cœlesti à luce beatæ
Lampadis est alijs: sed tibi grande iubar.
Sacra tibi se tota lubens Scriptura recludit:
Inq; tuos ductus officiosa iacet.
Ex quouis quiduis concludis Apolline dextro:
Et logica est placitis prona sequáxq; tuis.
Sint Scholia indoctis: tibi sponte fit obuia gnome.
Parce oleo & lychnis, Sat sine luce vides.
Non mihi si centum conentur Apollines, artis
Arte sua expedient Vímq; strophámq; tuæ.
Perge Pater, crepidámq; cie, cathedrámq; capesse:
Aure puer pronâ pendeo ab ore tuo.
Sancta dare haud fas est canibus: Scriptura popello
Idcirco (rudis) Sacra neganda rudi est.
Cætera disponam cum Venero: Apostolus ergo
Composuit Missam, dispofuîtq; piam.
Denarijs Christus triginta est proditus: ergo
Denarij formam victima Sacra gerat.

Petra fuit Christus : Sint ergo altaria structa
De Petrâ, ad Missæ pensa diurna Sacræ.
Non calici, at pani, vitæ promissio facta est :
Ergo potest populo iussus abesse calix.
Hoc comedens de pane per omnia secula viuet :
Panis ad æternam sufficit ergo dapem.
Clericus in Templo est quasi miles spiritualis :
Fortiter in Satanam cantibus ergo boet.
Ficus inops fici percussa est fulmine Christi :
Legitimè diras fulminet ergo Papa.
Quilibet illius Scabellum pronus adoret :
Sublimem ergo Papam subdita colla ferant,
Turba Sacerdotum de lege interroget : ergo
Expositore opus est Pontificante Papâ.
Qui non audierit, tibi sit velut Ethnicus : ergo
Audiri à cunctis Dogma Papale decet.
Visum est spiritui Sancto nobisq; : voluntas
Est recti gnomon ergo beata Papæ.
Iudæis Moses lites determinat : ergo
Muta Dei lex est, lex animata Papa.
Cum Petro Christus soluit didrachma : solutus
Ergo Papa haud soluit, sed capit atq; rapit.
Angelice interpres, Rabbi insignissime, solus
Qui Canonis Sacri Sensa profunda tenes:
Cum cœnem vitulâ, pro cornibus ipse venito :
Tam bene Scripturæ me quia Sensa doces.

Nempe

Nempe Sacri textus mirè ſuffragia calles,
Quem tibi ceu quendam pſittacon eſſe facis.
Quid porro? deprome tuæ violenticus artis
Fulmen, & hereticos vi grauiore quate.
Non poſſunt Domino qui ſunt in carne placere:
Ergo Sacerdotum nemo maritus erit.
Melchiſedech ſine Patre fuit, ſine Matre ſacerdos:
Ergo Sacerdotes non decet eſſe patres.
Eius ſub pedibus poſuit Deus omnia: totus
Mundus hyperbolico ſubditur ergo Papæ.
Lumina magna duo fecit Deus: ergo poteſtas
Pontificis maior, Cæſaris eſtq; minor.
Principio cœlum, poſt cœlum terra creata eſt:
Cæſareo prior eſt ergo Papalis honos.
Effrœni carni dominetur Spiritus: ergo
Induperatori præuius eſto Papa.
Aſſolet inferior Nutricius eſſe parente:
Ergo Papâ Rex eſt Pontificante minor.
Peccatrix Chriſti pedibus dedit oſcula: pronus
Oſcula det pedibus quilibet ergo Papæ.
De terrâ aſcendens fons terras irrigat omnes:
Omnibus ergo præ eſt Coſmopolita Papa.
Mirande Antiſtes, cathedrate didaſcale mundi,
Doctorum columen, gloria, fama, decus:
Argutæq; Scholæ commendatiſſime Præſes:
O quanta eſt Cathedræ fama decúſq; tuæ?

Attonitus Petri radiatum Numen adoro,
Résq; mihi prior est nomine nulla tuo.
Mentem acuo, Phœbúmq; cio, Musámq; lacesso,
Vt tibi splendescat carmine fama meo.
Docta corona tibi, tibi tota Academia cedit:
Pallas & ipsa tibi, Phœbus & ipse tibi.
Cœlestis tibi nôsse datum est mysteria regni.
Solus & à Sensu deuius ijsse nequis.
Tecum presbytero collatus presbyter alter,
Ille minor vitulo, tu boue maior eris.
Et sanè (quoniam Delphis oracula cessant)
Tu mihi, tu solus Delius alter eris.
Nil facio commenta patrum, nil luminis inde
Mutuor: illa liquent lumine clara tuo.
Tu nunquam fallis, tu nunquam falleris vnus:
Est Canonis sacri vox tua Sacra Canon.
Sella tua est cœlum, sunt Sensus Sidera: nunquam
Vllius Eclipsis Sideris vlla tui est.
Omnes thesauri cœlestis cognitionis
Pectoris exornant Scrinia Sacra tui.
Inferni haud poterit contra te porta valere:
Et fidei Scutum militat omne tibi.
Quinetiam mens ipsa magis tibi cognita Christi est:
Inq; tuo Sanctus Spiritus ore natat.
Et quidnî totus Iubilæo Hosanna Salutis
Hosanna exclamet Mundus orante tibi?


Quin tu iustitiæ Princeps, & pacis haberis,
(Melchisedech alio nomine, Réxq; Salem)
Cætera cum Domini Sanctissima nomina Christi
Det tibi sublestâ Roma scelesta fide?
Lux prima est Christus: sed-tu lux altera mundi:
Sic tua nos asinos aurea glossa docet.
Est Christo fœlix ecclesia Sponsa marito:
Hæc quoq; Prochristo est Sponsa sequestra tibi.
Est Christus Regale caput, vitámq; ministrat:
Tuq; subalternum vis caput esse Deo.
Sparta tua est totus, cui Christus præsidet, orbis:
Sit sua pars alijs, orbica cura tua est.
Vna tibi & Christo sunt consistoria: túq;
Regna sub hoc eadem Præside præses habes.
Te Cherubim Seraphímque tremunt, te Dæmones (horrent:
Et peragunt placiti mollia iussa tui.
Illico findantur valles, montésq; liquescant,
Et maria arescant, Vociferante Papâ.
Illico flammi vomi rapiant te ad Sidera currus,
Thisbytésq; viâ cedat Elia tibi.
Ensibus invitis & dentibus, omnia mundi
Rex Regum Regnis assere Regna tuis.
Tam (Prochriste) tua est Maiestas proxima Christo,
Sæpe mihi imponas inter vt esse nihil.
Et tamen (vt fatear) magnum discrimen in vno est.
Cætera persimiles Numen habetis idem.

Impleuit

Impleuit legem Christus, tibi rumpere fas est.
Tu dispensator, debitor ille fuit.
Ad placitum te posse Dei dissolvere legem,
Est linguâ factis lingua tacente tuis.
Omnia p ruertis, cathedræq; licentia quiduis
Tam licuisse facit, quàm libuisse, tibi.
Nunquid adhuc superest? attexe, tuúmq; clientem
Iam sine sat lassis auribus ire domum.
Hinc hominum piscator eris: piscabitur ergo
Petreius nassis omnia Regna suis.
Omnia spiritualis homo dijudicat: omnes
Legitimus iudex iudicet ergo Papa,
Spiritualis homo dijudicat omnia: nemo
Pneumaticum Dominum iudicet ergo Papam.
Hic duo sunt gladij: gladius tuus vnus & alter
Ergo erit & Regnum seruiet omne tibi.
Quæ gens cúnq; tibi non seruiet, illa peribit:
Gens vectigalis quæq; sit ergo tibi.
Quæ gens cúnq; tibi non seruiet, illa peribit.
Subdita Gens esto quælibet ergo tibi.
Omnia sunt eius pedibus subiecta: potestas
Omnis hyperbolico subiacet ergo Papæ.
Haud poterit quisquam Dominis seruire duobus:
Principe posthabito seruiat, ergo Papæ.
Nemo suum Servus debet supra esse magistrum:
Nulli igitur fas est increpuisse Papam.

Non

Non Dominum Servus, non æquat Cynthia Solem:
Ergo decet Reges ſubdere colla tibi.
Talia multa refers commenta, & quidlibet infers
Scripturam obliquans, Archiſophiſta Papa.
Si niſi quæ fuerit Sacro vox conſona verbo.
Nulla futura tua eſt, vix erit vlla tua.
Teſtibus accîtis adhibes tormenta: fateri
Quæ cupiut, renuis: quæ renuere, facis.
Sic penſum Doctoris obis: ſic munere Chriſti
Fungeris, & Domini Senſa profunda ſapis.
Scilicet inſulsè ſapis, atq; obtuſus acutè es,
Phaſmata dum cerebri promis inepta tui.
Chimiſta interpres verbi das Protea Senſum:
Et veteratorem, dum malè vertis, agis.
Nil tamen invito textu, Senſúve coacto,
Cum ſis Scripturæ Phœbus Apollo Papa.
Tu verò Scripturæ Hermes? tu Biblicus index?
Qui negat, huic Sanum Sinciput eſſe puto.



De Doctrinæ impuritate in *Pseudecclesia Romana.*

ELEGIA 4[a].

ARGVMENTVM.

Romæ incrementum, multis centonibus auctum.
Sæpius accepit cusa, recusa fides.

(phane)
HEu quas Doctrinæ Sanæ (Antichriste pro-
Offundis tenebras, Tartareúmq; Chaos?
Dũ liquidos vitę fontes, dum polluis haustus
Dulcis aquæ puros, stagnáq; spissa fodis.
Peruersè versam Scripturam, authentica mandas
Biblia sub pœnâ fulminis esse Dei.
Respuis Hebræos fontes: quasi fontibus ipsis
Gurgite flumen iners limpidiore fluat.
Pseudographa Autographis miscentur Apocrypha
Indubia ambiguis, Scriptáq; nota nothis. (certis,
Passim grammaticus, moralis, mysticus, atque
Sphingicus, in Sacro codice Sensus inest.

Cum tot ſint Sacro diuerſi in codice Senſus,
Miror in hoc ſiquis codice Senſus ineſt.
Sic Antichriſtus ſanctiſſima Biblia Chriſti
Explicat, & placitis applicat illa ſuis.
Pronus in exſenſum ſenſum, verbiq; Tyrannus:
Autograpíq; frequens Bibliocîda Sacri.
O Talmudiſtas, Alchimiſtáſq; Papiſtas,
Ad placitum balans Pontificale pecus:
Vt vobis veſtræ Cynoſura authentica gloſſæ
Arbitrio Domini ſtátq; cadítq; Papæ?
Pro Scholijs ſcorijs donâſtis Biblia Chriſti
Vt Latio faueant ſic temerata Deo.
Nempe Sophiſtarum generalis Metropolites
Vos fatuos fabros relligionis habet.
At meritò patitur Sannas, riſúſq; legentûm,
Dum ſic ſe vatem venditat eſſe Dei.
Dogmaticus fidei figulus noua dogmata cudit:
Chriſticoláſq; ſua relligione ligat.
Indignum facinus: Generalis Apoſtata Mundi
Dogma Sacrum fidei vendicat omne Sibi.
Annua ſolenni ſtatuit ieíunia pompâ,
In quibus eſt veſci non leue carne nefas.
Piſce licet veſci: ſed veſci carne prophanum eſt.
Quippe Deus terræ, non maledixit aquæ.
Abba pater patrum, Coryphæe ſupreme docentûm,
Alpha Sacerdotum, Chriſtiadûmq; caput,

Cum

Cum ſic promulgas doctrinas Dæmoniorum,
Te Duce Grex Chriſti carpit ad aſtra viam?
Iam Satanæ (haud Chriſti) vis commiſsarius eſſe,
Dum Satanæ partes officioſus agis.
Scripturas libros appellas Hæreticorum,
Háſq; datas populi vocibus igne cremas.
Cumq; alijs inſint errores mille libellis,
Igne ferè errores *Biblia ſola* luunt.
Proponis Sacras ignotos idiomate voces,
Quas rude tam vulgus, quàm petra ſurda, capit.
Sancta dabit canibus, Sanctorũ Sancta prophanis,
Qui populi ad captum Biblia Sacra legit.
Delicias Sacras incondita condit orexis:
Et veram paſcunt pabula picta famem.
Scenicus explanat fidei myſteria geſtus:
Et populi armentum lignea ſpectra docent.
Sic Bethel facta eſt Bethauen: fœderis arca
Exulat, & Molech regnat in æde Dei.
Quid referam bardi gloſſemata plumbea Myſtæ,
Dum lepidos ludos Biblia Sacra facit?
Maieſtas violata Sacri Sanctiſſima verbi,
Suadet in hoc cœtu Numinis eſse nihil.
Ordo Sacerdotum quondam fuit aureus: ordo
Ligneus eſt hodie, ligneo auente Papâ.
Cuſtodi cuſtode opus eſt: Doctore docenti.
Et Curatori pro Grege cura Sui eſt.

Ignaui, indocti, indigni tolluntur in altum:
Quiq; gradum ad Sanctum nil nisi velle ferunt.
Spissa Sacerdotum stolidorum inscitia, latè
Cymmerijs tenebris fana profana replet.
Concio de Christo nugis temeratur ineptis:
Et castam incestant dogmata praua fidem.
Mixta satis dantur zizania, mixta aconitis
Antidota, & morbo cassa medela nocet.
Siquam habeat frontem meretrix Ecclesia Romæ,
Dixerit his dictis verius esse nihil.
Sin verò inficias ibit (sed & iuit, & ibit)
Tessera proiecti certa pudoris erit.
Iam reliquas offas cacodoxæ relligionis,
Scitáq; Prochristi disce nouella Papæ.
Scis quàm mirandum sit purgatorius ignis?
Hoc animam igne lauas, hoc loculum igne leuas.
Flamma quidem hæc purgat prægnantes ære crume-
Fortis opum Clyster, torrida zona Papæ. (nas,
Imo metalla (licet sint purgatissima) purgat:
Et Nummo stolidos, ingenióq, leuat.
At verò spectrum est hæc flamma cathartica: Mundi
Terriculamentum, picta Gehenna Papæ.
Vt fatuus fatuo fatuos Papa territat igni?
Vt falso è cœlo fulgur inane rotat?
Nil nisi vox artis, nisi fraus, nisi chimica techna est
De flammâ fictus purificante locus.

Condere

Condere qui potuit, momento temporis ignem
Si velit hunc opifex euacuare potest.
(Sancte pater) flammis animas torrentibus vstas
Vel releuare potes; vel releuare nequis.
Si potes, & non vis: tibi commiseratio nulla est.
Si vis, & nequeas: est tibi nulla fides.
Elige præcipitem quod te dabit, esse propheta
Siue velis mendax, siue tyrannus atrox.
Talia Romulei phantasmata Dædala fingunt
Pontifices: alio nomine Pompifices.
Voce *Berengarius* scitâ sic censuit istos:
Potificésq; simul, Pultificésq; vocat.
Ast ego (si fas sit) dicam hos plastásque, fabrósque,
Et figulos fidei, Mercuriósq; nouæ.
Nimirum in causâ est hic purgatorius ignis,
Cur patris pulchro splendeat igne focus.
Nam si deficeret bona flamma puerpera nummi,
Frigeret miserè mœsta culina Papæ.
Summe Sacerdotum, generalis Apostole Mundi,
Dogmaticæ Cathedræ magne Scholarcha Papa,
Sit mihi fas Sciolo Babylonis cætera nôsse
Orgia, & occipitis scire reperta tui.
A Christi regno tua doxa eliminat omnes,
Qui non se caulis continuere tuis.
Languida blasphemos atheos censura coërcet:
Protinus exitio est displicuisse tibi.

Nemo

Nemo fuit Mastix te Sæuior hæreticorum,
At reus heresews quos agis ipse reos.
Dum personarum successio constet inanis:
Succesſus fidei non licet asse tibi.
Vt tenebras luci, sic successisse fatebor
Arshetypo Petro téq; pedúmq; tuum.
Est tibi iam Caiphæ, non est successio Cephæ.
Deq; Simone Mago est, non tibi stemma Petro.
Nempe Annæ & Caiphæ multùm Successio quon-
Nil Christo fauit, Christicolûmve Gregi. (dam
Non fidei Successum hominum successio ponit.
Nec Vagina vacans ense tropæa parit.
Auditus fidei est, non est Successio mater.
Nec bonus ordo bonos, sed pia Vita facit.
Cletus, Anacletúsq; Papæ. *Cleménsq; Linúsq;*
Quis cui successit, dicere nemo potest.
Atq; hodie celebres Patriarchis quatuor olim
Turca potens *Vrbes* quatuor Orbis habet.
Hæc (puto) Prochristi Christo est successio, cœtu
Quo Prochristus adest, Illico Christus abest.
Successe lupi atroces Pastoribus: olim
Id fore prædixit Paulus, Améneq; Dei.
Personate pater, laruate Vicarie Christi,
Qui Satanæ in terris vimq, vicémq; geris:
Pande tui reliquam mihi Synthesin *Alcorani*:
Méq; doce tripodis Scita nouella tui.

Hierusalem. Antiochiam. Alexandriã. Constantinopolim.

Posse

Posse statuta Dei impleri tua sanctio sancta est:
Et plusquàm impleri posse statuta Dei.
Implet ais iustus: sed qui perfectus habetur,
Plus quàm quod fieri lex iubet, ille facit.
Méne penes verò est legis præstatio? legem
Cur sub lege Deus præstitit ergo mihi?
Me lex occidit, me lex pessundedit? impos
Vitæ, quod vitæ munus obire queam?
Arbitrij vires, & Naturalia pura,
Effers in Christi sanguinis opprobrium.
Vt sit ad æternam firmata electio vitam,
Non vis hoc figulum, sed penes esse lutum.
Peccatum indûxti (secluso Sanguine Christi)
Quod veniale crisin mortis habere nequit.
At quod tu excludis peccatum à sanguine Christi,
A regno excludit, conciliòq, Dei.
Dum per legis opus te credis habere salutem,
Omne tuo soluis dogmate legis opus.
Quippe Dei fixam te posse refigere legem
Multa tuæ Cameræ Sanctio testis erit.
Culpa (ais) abluitur, non pœna, in sanguine Christi:
Tu verò indulgens tollis vtranq; simul.
Interdum pœnam retines, culpámq; remittis.
Culpa remissa rei est? pœna retenta reo?
O quàm Romulei fauet indulgentia Patris?
Soluit hic, & plectit, rémq; reúmq; simul.

Flat ſimul, & ſorbet; pariterq; caleſcit, & alget:
Quæq; ligat, ſoluit: quæq; ſoluta, ligat.
Nec mala condonat, quæ non condemnat: & iræ
Non facit eſſe reum, quem tamen eſſe facit.
Hæc Romana fides debet ludibria Mundo:
Et cuius tandem concoquat iſta fides?
Qui confirmatur per Sacrum chriſma, malorum
Contra Spirituum prælia robur habet.
Eſt Seruus Chriſti benedicto à Chriſmate dictus:
Nec Chriſti eſt, ſi cui Chriſma Papale deeſt.
At Caluiniſtæ (quanuis fremuere Papiſtæ)
Chriſmatis hoc ocreas vnguine ſæpe linunt.
Quatuor inſtituit ieiunia Sacra Calixtus,
(Nam totidem quartas corpus & annus habent,
Quatuor humores, elementáq; quatuor orbis,
Quatuor ac obolis quatuor oua valent.)
Vt Petrus Piſcator erat: ſic piſcibus vti
Gloria Petreiæ Relligionis erit.
Non Sacramentum fuit olim pœnituiſſe:
Iam Sacramentum eſt pœnituiſſe nouum.
Eſt fidei in Chriſtum pignus Baptiſma iugalis:
Et nos *Prochriſto Symbolon* vnit idem.
Externa æternam Baptiſmi lotio vitam
Confert: fitq; hominis penſilis inde Salus.
Hîc ſal, hîc oleum, Magicæ artes, rancida ſputa,
Illudunt populo (Chriſte ſupreme) tuo.

Horrendum

Horrendum facinus Romani Pontificastri,
Qui temerat fœdus, chirographúmq; Dei.
Qui septem numero non Sacramenta fatentur,
Hos ais hæreticos hæresiarcha Papa.
Nam septem vitia, & virtutes ordine septem,
Signa docent totidem fœderis esse noui.
In sacrâ cœnâ (quasi sint tua vina venena)
Non bibit hæc populus dira aconita tuus.
Quippe hîc nil siccus conuiua pitissat: & à me
Dicit (at inuitus) transeat iste calix.
Altera Sacrilego cœnæ pars tollitur ausu?
Restat vt obtentu tollat vtranq; pari.
Vtraq; Missifico species datur, vna popello.
Si satis vna Gregi, quin satis vna tibi?
Scilicet alterutrum qui sumit, sumit vtrunq;
Sanguine nempe venit concomitata caro.
Integra si specie sint Sacramenta sub vnâ:
Integra cur non sunt sic data Sacra tibi?
Et si plebeijs elementum sufficit vnum:
Iam (quæso) alternâ Grex vice vina bibat.
Ipse suum nobis Christus Pincerna cruorem
Cum dedit: an potis es detinuisse Papa?
Est medicina (inquis) confessio criminis: atquî
Carnificina Gregi est hæc medicina tuo.
Felle & aceto animam sitibundam pascis amaro,
Peccati pœnam dum miseranda luit.

Heu tua quàm sęua est clementia quàm tibi crudum
Pectus, amûrq; atrox (psychotyranne Papa?)
Nulla tibi est laudis, multa est confessio fraudis,
Quam bibulâ Mystes callidus aure bibit.
Scilicet interdum Confessor ineptulus audit
Crimen, & absoluit (te recitante) tuum.
Túne soles alijs peccata remittere? certè
Si potes hoc alijs, tu potes ipse tibi.
Est absoluentem tibi fas absoluere: quippe
Cœlorum pendet clauis ab ore tuo.
Omnibus ignoscis peccantibus omnia, *Romæ*
(Vt tibi dent aliquid) qui iubilæa petunt.
Delet commissum indulgentia, delet omissum.
Et plus ipsa Dei passio nunquid agit?
Certos, quos *Sanctos* canonizas, esse salutis
Asseris, incertus, num tibi certa salus.
Túne, tenes alios, & nescis tute teipsum?
Estne oculata foris mens tibi, cæca domi?
Non tibi tu credis, dum vis tibi (perfide) credi?
Quando sapis reliquis, desipis ipse tibi?
Euge tripartitæ cœlestia Scita Tiaræ:
Euge Petri Cathedram, Petrigenámq; fidem.
Túne es *Bezaleel* Delubri spiritualis?
Iure pari *Babel* audiat arca Dei.
Furfuris eiusdem (nam pars hic nulla farinæ est)
Dogmata procudit mille saperda Papa.

Quid

Quid memorem cultúsq; nouos, ritúsq; prophanos,
Queis propè relligio est tota sepulta Dei?
Nugarum Mater prægnans Ecclesia *Romæ*,
Multâ infida fide est, impietate pia.
Est Paganismus maiore ex parte Papismus,
Fertilis in cultus luxuriare nouos.
O Simulacrificos dirâ impietate Papistas,
An Deus est vobis, quêis liquet esse deos?
Inuidus excubias (vobis stertentibus) egit.
Et Sannas Satanas sæpius inde dedit.
Vana Superstitio Psalmos demurmurat: atq;
Dinumerat globulis pensa diurna Deo.
Clamores moresq; chori memorare prophani,
Post erit ansa loco commodiore mihi.
Quid facit interea Clerîq; Chorîq; magister?
Vt te (Petre) refert? vt docet ille Gregem?
Scilicet hanc curam ablegat cuicunq; volenti:
Et lapis ipse triceps prostat in æde Dei.
Hoc ego pol sensu fateor, sempérq; fatebor,
Esse Papam graphicè, grammaticéq; Petram.
Quinetiam quouis certârim pignore veri,
Nil magis esse petram Pontificante Papâ.
Nempe silet *Latius* verbo, sed verbere duro
Sæuit: amoris inops, arma timoris habet.
Verbera producit, suspendens vbera: Sancto
Sic fauet ille Gregi, sic litat ille Deo.

Vera laboriferi *Paulus* paſtoris imago
 Et *Petrus*, haud munus ſic obiere ſuum.
Scilicet vndantes dum regni torquet habenas,
 Dum Regum lites, diuidiáſq; ſecat:
Otia dum minuit curis ingentibus: iſti
 Iure licet Sacris rebus abeſse Ioui.
Si cuncta annorum repetas monumenta: docentem
 In Grege viderunt ſecula nulla Papam.
Reuerâ Chriſtum (Prochriſte) imitaris in vno:
 Pane perexiguo millia multa cibas.
Grex vitâ debet paſtori charior eſse:
 Quid tibi non conſtat charius eſse Grege?
Heu ſtupidum, ignarum, cæcum, miſerabile vulgus,
 Cui vitæ & verbi lampas adempta ſacri:
Vt vobis caligo dies, ſeductio ductus,
 Cor rude, mens ſterilis, ſpes vaga, vana fides?
Millibus in mille eſt armenti Poutificalis
 Gottica barbaries, Vandalicúſq; ſtupor.
Sabbata qui violant Chriſti turbando quietem,
 Innumera eſt *Romæ* vana, vagánſq; cohors.
Nec minùs eſt paſtor cuſtos Erymanthidos Vrſæ,
 Quàm Papa, qui ſanctum paſcit ouile nihil.
Quî cæcum & claudum de templo tolleret, ipſe
 Cæcus, & amſancto claudus in officio?
Implicitam tenuiſse fidem ſanctiſſima vulgi eſt
 Relligio, & pietas maxima ſcire nihil.

Non

Non hoc pingue Sacrum: ſed egenū, debile, macrum.
  Non Gregis hoc vires: pro Grege virus habet.
Sic animis captum (tanquam exoculata Cyclopum.
  Agmina) Prochriſtus gaudet habere Gregem.
Dum ſtatuis populum doctum vult: ipſe viciſſim
  Fit ſtatua, & populum vult docuiſse nihil.
Dum templi externi ſplendeſcat gloria: viua
  Templa Dei peſsum funditùs ire ſinit.
Dum Sibi proſpiciat, cathedram dū ditet, & ornet:
  Chriſte vale, tuus eſt proximus ipſe Sibi.
Imo vale, vt valeat *Præſes* tuus: vſq; valebit
  Iſte tuus meliùs, ſi priùs ipſe vales.
De ſaxis fieri panes (quaſi Dæmonis arte)
  Et populum in ſtatuis mandere Saxa iubet.
Quid ſit vera fides, inquirere deſine: ritu
  Romano præſtat præcipitare fidem.
Scilicet antiſtes Sacroſanctæ relligionis
  Hoc pecus infirmum fomite lactis alit.
Impoſtor paſtor, Doctor Seductor, ouili
  Sícne miniſtrantur pabula ſana tuo?
Dum malè ſic animas paſcis, vel pabula demis:
  Da Satanæ has animas, cætera tolle tibi.
Quando Dei in templo ſtas vt Marpeſia cautes,
  Credidero ſtupido num tibi ſtipes ego?
Vin' tibi ſic credi, ſicut te crederecredis?
  Creditur is mentis, qui tibi credit, inops.

Presbytero

Presbytero credat plebs, Pontificíq; Sacerdos,
Præsul concilio, conciliúmq; Papæ:
Subijciant Sensus vnius Sensibus omnes:
Sic Grex vnus erit, sic erit vna fides:
Hæccine Syntaxis fidei est? hæc aurea verè
Credenda? Id nobis credat Apella priùs.
Magne Sacerdotum Coryphæe) porismata vellem
(Pace tuæ Mitræ) cætera scire tua:
Si reliquà attexas fidei cacodoxa, profecto
Optabo triplex crista sit apta tibi.
Ebria Sanctorum Sanctissima Sanguine *Roma*
Mirificâ Sanctos relligione colit.
Verè ais, & verum veraci credere certum est.
Tu iam quæ verè dixero, crede mihi.
Non Papa tam Sanctis, quàm Scortis calliparæis
(Antiquâ *Romæ* relligione) fauet.
Nomine sub Christi, quæ sunt contraria Christo,
Multa Cathedratus cudit inepta faber.
Pyxidas ad Satanæ subscribit nomina Christi,
Fraude paludatâ vt perdat ouile Dei.
Toxica dulciculo mandit circumlita fuco
Vulgus, & antidoto mista venena bibit.
Prochristus Christi nomen, non Numen adorat:
Et minùs est Christi, quàm memor ille Petri.
Petro templa dicat, Petro Solennia præstat:
Vultq; Petrum fidei Christidos esse Petram.

Petrus

Petrus adorari Se viuum noluit: atquî
Mortuus in statuâ cogitur esse Deus.
Vixerunt quondam tenues in corpore Sancti:
Sanctorum statuas pompa stupenda tegit.
Seruatrix hominum fit virgo Deipara: quæq;
Nato iure potest inperitare suo.
Nec tot Christicolas (tanta est reuerentia Matris)
Quot Mariolatras Secta Papalis habet.
Cum Genetrice suâ regnum cœleste Redemptor
Diuiduum fecit, dimidiúmq; dedit.
Hæc illibatâ Natalis origine puri,
Filia *Supremi*, lilia vincit agri.
Pulchrior hæc Phœbo, Phœbe speciosior, astris
Clarior, Aurorá Lucidiórq; Dea.
Stella Sali, Patrona Soli, porta aurea cœli,
Fons sine labe nitens, intemerata rosa,
Solamen miseris, spes, anchora, portus & aura,
Et quid non crasso dicitur illa Papæ?
Quæ tulit in Mundum promissum fœmina semen,
Sustulit è Mundo pœne quod antè tulit.
Ad vetera hæreticωn deliramenta relapsus,
Heresεωn recoquit vilia frusta Papa.
Funesta aurato cratere venena propinat
Vt dirâ imponant pocula pulchra lue.
Si Christus Mediator erit, cur quæritur alter?
Mille tamen quærit, mille Papista colit.

Ocæcos, ſurdos, fatuos, ſtupidóſq; Papiſtas:
 Nulla Prophanorum tanta Mania fuit.
Martyris innumeri veneratur pulchra ſepulchra
 Lictor atrox Satanæ, Martyricîda Papa.
Vaſtator fidei, dum Sanctum cædit ouile,
 Heu tibi Sacrificat Sanguine (*Chriſte*) tuo.
Agnus adoratur pictus, viuúſq; voratur.
 Sic Sic relligio eſt Nobilitata Papæ.
Hunc ego (ſi fas ſit) iam dixero relligioſum
 Vel catacattholicum, vel cacon eſſe Lycum.
Tota vndante fluens Eccleſia Sanguine, dirum
 Sanctorum lanium clamitet eſſe Papam.
Sanguinis hic campus, vel *Aceldama* (Sæue Sacerdos)
 Te facit eſſe lupum. Nouimus eſſe lupam.
Heu quot teſtantur, quot deteſtantur aduſti
 Sacrilegam *Romæ*, profluuiámq; fidem?
Qui dedit, atque datam mox reſcidit: extitit olim
 Non Petrus ille Simon, ſed Vafer arte Sinon.
Non in Concilijs fuit hoſpe's ab hoſpite tutus
 (Concilium memini conciliâſſe necem.)
Stella Gregis Sancti cum paſtor debeat eſſe:
 In Grege Prochriſtus ſtella canina furit.
Sauciat, haud ſanat, pecus ægrum: nec cataplaſma,
 Sed catapulta ferox fit medicina Papæ.
Non tu tot (credo) clades ſtragéſq; dediſti
 Inter ouile Dei Synchrone *Turca* Papæ.

Qui

Eheu, quàm sponsæ vir verè Sanguinis hic est,
Qui Sobolem sponsæ cædit, & igne cremat?
Innumeros furibunda Papæ vindicta coëgit
Fata Maris, Martis, Mortis acerba pati.
Nempe Papa à Satanâ differt, quòd (teste popello)
Cornua sint Satanæ, tripla tiara Papæ.
Cætera concordant: *Satanissimus* iste Sacerdos
Tam Satanæ satagit, promouet, vrget opus.
Illi tempus erit, cum magno optauerit emptum
Intactum cœtum, membráq; viua Dei.
Nec verò hic solùm satiatur cæde piorum:
Effodit insanus sæpe cadauer humo.
Nec pasta in viuis illi post fata quiescit
Ira: sed in manes sæuijt hostis atrox.
Heu natis orbata suis Ecclesia luget,
Implorátq; tuam (Summe Redemptor) opem.
Dira refert accepta Papæ tormenta Suorum,
Quódq; micet flammis, quódq; cruore fluat.
Illa rosas grauiter mœrens modò protulit: olim
Candida quæ miti lilia pace tulit.
In medijs flammis, flammis illustrior ipsis,
Martyr amictus erat plurimus igne tuus.
Nec pluuiá tellus eguit, quo fertilis esset:
Diluuio potuit Sanguinis esse ferax.
Fundator Satanas, instauratórq; Papatus,
Consolidat Regni Sanguine fulcra sui.

Dum timuere mori ſerui poſt tempora mortis
(Chriſte) tui: in vita non timuere mori.
Hîc apud Angligenas, fautrix Regina Papiſtis,
Vna quot indigenas torruit igne pios?
Nec de plebe pios: ſed quos decus extulit ingens,
Præſulibus ſtruxit quinq; *Maria* pyram.
Ex vtero Matris labentem, & rurſus in ignem
Coniectum infantem (crude tyranne) vide.
Sic hominum horrenda laniena Nobilitatur,
Non aliâ claret Nobilitate Papa.
Setuorum Seruus conſeruos cædit, & iſtos
Cædendo, Seruus proditur eſse malus.
Bellum infert ſanctis: bellóq; cruentior ipſo
Ora Draco Latius Sanguine tetra lauat.
Vnius exiguo regnantis tempore Monſtri
Centum hominum Annales millia cæſa ferunt.
Tertius ille *Nocens* (*In* demo neceſse *Nocenti*)
Vnâ tot morti millia clade dedit.
Sanctorum (ô verè ſanctis lugenda) legenda,
Martyris innumeri ſanguine lota rubet.
Ah mihi cæſorum funeſtant funera vitam,
Quòd fuerit toties his homicida dies.
Dum lego tot clades famulorum (Chriſte) tuorum,
Lumina mox cupio flumina noſtra forent.
Nemo non nouit lanienam Pariſienſem
Quótq; neci inſontes hebdomas vna dedit:

Dum minùs est illo vini, quàm sanguinis haustum
Tempore: tempestas sanguinolenta fuit.
Discite iustitiam moniti, & non temnere Christum,
Quos properè Lanijs hæc laniena dedit.
Eheu, non ouium pastor, depastor habendus
Talis alastor atrox, trux ouicîda Gregis.
Qui ditione potens fit perditione piorum,
Hic properat perdi Sonticus igne Dei.
Omnia (Christe) tui superant tormenta ferendo,
Tollere quæ nequeunt, hæc tolerare sciunt.
His vitâ caruisse, frui est: posuisse, potiri.
Et superâsse, pati est: & superesse, mori.
Aurum homini pietas, flamma est afflictio, mundus
Olla, caro calamus, malleus ipse Deus.
Sanguine fundata est ecclesia, Sanguine creuit:
Sanguinis imbre madet, Sanguinis amne rubet.
Sanguine Prochristus fœdauit ouilia *Christi.*
Ista Papæ est pietas: Iste vir, iste Dei.
Plurima Doctrinæ cacodoxæ frusta supersunt,
Quæ superant Elegi Septa recepta mei.
Librorum clades expurgatorius index,
Haud occultatæ futile fraudis opus.
Multa vel eradit quæ scripsit docta vetustas:
Multa vel arrodit non placitura Papæ.
Hæc verè natos iugulat censura libellos,
Atq; adimit notos, substituítq; nothos,

Dirum, horrendum, infandum, atrox, crudele macel-
Omnibus & libris carnificina pijs. (lum:
Verè ipsi Spurij (non Patrum stemma) Papistæ
Esse patres clamant, esse, ter esse Suos.
Postillæ plostella ferè sunt quisquiliarum:
His qui nil Sapidi sentit inesse, sapit.
Traditionistas liquet omnes esse Papistas,
Qui Scripturistas nos agitare solent.
Non quæ, non quales, non quot sint Traditiones,
Non vbi sint dicit, scítue Saperda Papa:
Et tamen has Sanctè seruandas præcipit: hásq;
Cogit honori petas codicis esse Sacri.
Quod nulla est Scripti, quod nulla est portio verbi,
Vim scripto & verbo cogit habere parem.
Sic *Clementinas*, sic sarcinulas asininas,
Quêis pulchrè ornatur Bibliotheca Papæ)
Et Decretales, & nugas nescio quales,
Vult corriuales codicis esse Sacri.
Huic Sacer est codex sine Sacri codicis vsu:
Plus opis ex alijs venit, opúmq; Papæ.
Relliquias potiùs curat, quàm relligionem:
Nec tam vult aras, quàm cupit ille focos.
Qui Sontis tollit Mundi peccata, beatum
Conficit hunc agnum cerea massa Dei.
Æternam quicunq; volet meruisse Salutem:
Oscula det pedibus protinus ille Papæ.

Mixta aqua cum vino (Romano more) popellum
  Cum Christo iunctum sanctiùs esse docet.
Quam factam è spinis gesisti (Christe) coronam,
  Hanc capitis rasi glabra corona refert.
Impositus Gallus supra pinacula Templi
  Omnes cum Petro pœnituisse monet.
Cereus accensus mediæ in solatia lucis
  Promissum lumen Gentibus esse docet.
Lumen at hoc animi tenebras, mentísq; recessum,
  Et liquido auriculas arguit esse Papæ.
Quinetiam prodit latebrosâ in Nocte Papistas
  Viuere, nec clarâ luce videre diem.
Multa fides feruet capitis, rarissima cordis:
  Dúmq; bonum iactant, non operantur opus.
Sæpe *Pater Noster* dictus peccata remittit,
  Si petis, & repetis, térq; quatérq; petis.
Hæc ego sic gusto, vt Christus gustauit acetum:
  Quæ lego, quæ gusto, nil probo, credo nihil.
Quid sit virtutis crucifixi in Sanguine Christi,
  Id *Cleopatra* Papæ Mimica *Missa* docet,
Calliope, Philomela, Charis, Polyhymnia, Phyllis,
  Melpomene, Euterpe, Suada, Melissa, Venus.
Hanc pro *Palladio* Romanæ Relligionis,
  Proq; *Ideâ* fidei Pontificalis habent.
Hîc Meretrix Bysso Babylonica fulget, & auro:
  Spurcáq; candenti Sindone furta tegit.

Transparente tegit probrosa cubilia veste,
Ne non hanc cernat quilibet esse lupam,
Sponsa Papæ magno precio parat ora decora:
At Satanæ poterat larua minoris emi.
Omnibus insanis, & sanis omnibus, omni
Tempore, Saluatrix Missa medela venit.
Si porci ægrotent maculosâ carne Misselli:
Sancta salutiferam Missa rogabit opem.
Cœna malum veniale leuat: mortalia delet
Missa mala, auxilium, vîsq; propinqua Dei.
Qui Missam audierit, non illa luce senescet,
Si sua Missanti debita dona ferat.
Nempe Poli cessant (Missâ haud cessante) moueri:
Lassáq; tum Lachesis ponere fusa solet.
Hîc pro defunctis, viuísq; precatur, & offert,
Sancta (ô *Messia*) Simia Missa tibi.
Quinetiam hîc Christũ (stupor est mirabilis) vnctus
Mysta reconciliat Sacrificando patri?
In Cœnâ te (Christe) pater credentibus offert:
Nunquid te in Missâ denuo Mysta Patri?
Hostia tu nobis es (Christe) idémq; Sacerdos:
Quid simile absimilis Missa Papalis habet?
Heu detestandæ pandectas impietatis,
Quas nunquam missas Missa prophana facit.
Protinus ad Missam si quisquam admittitur vsquã,
Ille facit missam cum pietate fidem.


In


In Scenam Christi cœnam mutauit: & istam
 Ridiculè Scenam Mimus ineptus agit.
Plus Paulo & Petro, & Christo sapuisse videntur,
 Qui Missæ ritus instituere nouos.
Sacrificus missat, dum plebs Missæ inscia mussat:
 Dúmque vagas preculas stulta susurrat anus.
Lingua aliena sonat, vox est ignota loquentis:
 Et vitreum vulgus vas ibi lambit iners.
In vacuo ludos spectare iubebo theatro,
 Orgia qui Missæ vult, adit, audit, amat.
Non audit, quisquis quod non intelligit, audit,
 Et videt incassum, qui sine mente videt.
Fert animæ ratio, non fert oratio lucem,
 Nec consensus adest, si modo sensus abest.
O bene quàm Missam lepidam, Mystámq; iocosum,
 Dalmaticâ indutus Cercopithecus agat?
Sæpe mihi pectus quatitur crepitante chachinno,
 Dum lepidæ Missæ sacra faceta lego.
Dulce melos, suauésq; tonos, nugásq; canoras
 Cantillat Siren relligiosa Papæ.
Artibus his mundi Reges illectat, vt omnes
 Nectar adulterij spirituale bibant.
Qninetiam Christi lytron, preciúmq; salutis
 Vendit: & in quæstu pro meretrice sedet.
Scilicet vt verè sis saluus sanguine Christi,
 Messiam Missam crede, Popámq, Papam.


Si vis mercari tollentem crimina Mundi :
In Misâ haud multo væniet ære tibi.
Vna tibi precio empta leui merita omnia Christi
Applicat, & solidè Missa tenere facit.
Desipuit *Caiphas* tanti stipulatus Iësum
Prodendum : poterat nempe minoris emi.
Formidande *Deus*, magníque rotator Olympi,
Aspicis, & pateris? Siccíne Sacra tua,
Iustitiam, fœdúsque tuum, sanctámq; Salutem,
Prostitui toties impietate Papæ?
Tantáne te mitem emollit clementia, Missam
Iudicio vt possis vlteriore pati?
Tantáne te mitem emollit clementia, Missam
Messiæ vt munus surripuisse sinas?
Sera venit, sed certa venit, tua pœna prophanis:
Iráq; zelotypi sera seuera Dei est.
Vt grauiùs ferias, tollis cunctantiùs ensem :
Pesq; tibi ex lanâ est, sed chalybæa manus.
O Satanæ inuentum, cœnæ damnabile bustum,
Massa execrandi Missa, struésq; mali.
Tam dirum idolum, tam detestabile monstrum,
Fecisti in sancto stare (*Prophane*) loco.
Túne Dei æditiuus? Fidei tu lucida lampas?
Depositi custos? Archileuita Dei?
Te temerare fidem, te Templi ac Numinis hostem
Esse, meum Mundo syngrapha carmen erit.


Dum

Dum mihi pulmo calens animâ rotat: impia Roma
Cos erit, & viuax carminis ira mei.
Dúmq; datur versu quod vapulet: impia Romæ
Missa dabit pœnas, carmine cæsa mea.











De blasphemo meriti commento, & *operibus supererogatorijs Christo derogatorijs, &c.*

ELEGIA 5ª.

ARGVMENTVM.

Pellicis inscripta est fronti blasphemia, & illud
Frontis in hoc poterit dogmate stigma legi.

QVis fando numeret blasphema tonitrua linguę
(Pseudoprophetarum Pseudopropheta) tuæ?
Christus (ais) meruit, possis vt tute mereri:
Et merita illius sanguine tincta crepas.
Cum meritis Christum misces, dirámq; Chimæram
Concretam ex operum merce, fidéq; facis.
De meritis miras fraudes meditaris: & ipsum
Nescio quid Christum vis meruisse Sibi.
Mercaris meritis (nam sic stipularis ab ipso
Astipulante Deo) Regna beata Dei.

In meritis proram ſtatuis, puppimq; ſalutis:
(Fidis enim Chriſto pro meritante fide.)
Sola fides eſt nulla fides, exangue cadauer,
Maſſa rudis, ſpectrum futile, pœne nihil.
Cum meritis (inquis) mediatrix gratia ſaluat:
At Spes eſt vni fidere vana Deo.
Mens vni confiſa Deo, confuſa recedet:
Non confuſa tamen, quæ tibi fidit, erit.
Fit medicina fides: medico nil credere prodeſt,
Si nihil ipſe facis, nil medicina facit.
Pro meritis miſerere Deus, miſerere, precaris:
Et velut ex pacto, quod petis, omne petis.
In cœlum audacter meritis perumpere tentas,
Atq; inferre throno téq; tuóſq; Dei.
Vt nebulam *Ixion*, ſic hæc amplecteris: idque
Pro pietate tuâ, proq; Salute tuâ,
De meritis ſpumas & fruſta ſuperflua vendis,
Ægrotóq; offers Pharmacopola mihi.
Quiſquis inops meriti eſt, à te Sibi ſumat abundè,
Nam riſco & fiſco eſt merx ea priua tuo.
De meritis aliquid iuſtus ſupererogat (inquis)
Et meruiſſe poteſt quis Sibi, quídq; Suis.
De meritis verè talis ſuperarrogat: atq;
Nil habet ipſe Sibi, quid dabit ergo ſuis?
Sanctorum merita expilans, vt vendere poſſis,
Es meriti furax, non meriti ipſe ferax.

Miror

Miror vbi hæc fuerit meritorum capſula quondam,
  Quando Patrum Iſacidum turba ſuperſtes erat.
An fuit hæc Romæ tum ſplendida Gaza repôſta,
  Cui Dominus Romæ poſt phylaciſta foret?
Iam cœlo è Latio meritorum depluit imber,
  Aurea ſi Latio ſupplicet oſſa Ioui.
Nulla Dei pretio res conſtat. Inempta redempto eſt
  Gratia. Res pretio eſt quæ libet empta Papæ.
In ſacris nuſquam meritorum vaſa leguntur,
  Sed quæ grata facit gratia, ſæpe lego.
Fundata eſt æterna Salus in Sanguine Chriſti,
  Lytron an hoc vendes (Mango Sceleſte) mihi?
Immenſum Barathrum ſupremæ eſt impietatis,
  Quod Lærnâ in cerebri ſtagnat olente tui:
Iuſtitiam haud Chriſtus nobis (ais) imputat: atquî
  Sanctorum noſtram iuſtitiam eſse putas.
An dat Franciſcus, quod non dat mutuò Chriſtus?
  Helleboro dignum eſt dogma capútq; tuum.
Nempe tui fiſci in conclauibus omnia Sancti
  Præmia virtutis depoſuere ſuæ.
Quinetiam Romæ meritorum excambia proſtant,
  Quorum præpoſito clauis adepta tibi.
Horum tu condus? ſed quando poſtulat vſus,
  Decondo promus protinus eſse potes.
Ac veluti in pelagi complexum flumina currunt,
  Nec minor eſt Nereus, quando recurrit aqua:

Sic

Sic tibi dant vni merita omnes omnia Sancti,
Ipſe nec es meriti, quando reuendis, inops.
Te penes eſt ergo meritorum promere Gazam,
(Nam penus œconomo creditur ille tibi)
De plenis venis fluit vndans gratia Romæ,
Quilibet vt gratìs, dans tibi grata, bibat.
Heu Chriſti concuſsa fides, heu gratia læſa:
O quantum eſt hominis *Corban* obeſse Deo?
Pro merito Hebræis vox nulla eſt, nulláq; Græcis:
Hebraïcè & Græcè fœdus vtrunq; datum eſt.
Non ex iuſtitiâ promiſsa eſt vita fideli,
Sed iuſto ex verâ vita, Saluſq; fide.
Accepere pij, non donauere coronas:
Iuſticiâmq, ſuam mutuò nemo dedit.
Iuſtitiam in nobis, in morte eſt quærere vitam:
Quam ſi quis quærat, num reperire licet?
Molitur meritum, nimis vt ſit paſſio Chriſti
Inualida, vtq; Deus deſinat eſse Deus.
Dic mihi cum fleres, meritorum (Petre) tuorum
Ad Chriſti intuitum quis tibi Senſus erat.
Non eſt vlla Dei niſi gratìs gratia detur.
Vis meruiſse Deum? gratia terga dedit.
Primus Adam Soboli meruit peccando Gehennam,
Cœlica promeruit regna ſecundus Adam.
Quis dabit immundo conceptum Semine mundù?
Si dederit nemo, num miſer ipſe dabo?

Me seruare fides sit persuasissima Christum
Tam voluisse hominem, quàm valuisse Deum.
Frusta operum attexit qui vis operista Papista
Ex Semisse faber iustitiæ ipse suæ.
Viuus opem quærens operum persæpe Papista,
Nullam vult operum iam moriturus opem.
O Spem fallacem meritis confidere quenquam:
Quàm citò Spes exspes, quæ Sibi fidit, erit:
Tali Spe freti pereùnt Sperando miselli:
Et studio amittunt, quod retinere student.
Sola fides sola est, promissæ causa Salutis.
Ægro Christus ait crede, beatus eris.
Quando animæ Domino fit dispensatio Christo,
Sedula connubij est, pronuba Sola fides.
Debitor inferior, quàm creditor, esse putatur:
An poterit meritis debitor esse Deus?
Mene potest meritum meritis exoluere pœnis?
Pársne meis meritis vlla salutis inest?
A meritis oculis animæ collyria sumam?
Híncne madens maculis smegma nitrúmq; meis?
Cœlica pro Siliquâ dabitur mihi messis c pellæ?
Æterno est horæ dignus honore labor?
Obuius extinctâ ne Sponso lampade fiam,
A meritis olei mutuò sumo iubar?
Sanguine quos lauit, quos verbo sanctificauit
Christus, eos iterum vile beabit opus?

An meritum poterit depellere Spicula mortis ?
An meritum eſt animæ Saluia Sana meæ ?
An ſtipulâ dabitur theſaurus, fœcibus aurum ?
Momentúmq; leui, perpetuúmq; breui ?
Num meritis Chrſti meritum, mortémq; merebor ?
Non eſt in tali dogmate mica Salis.
Cum reparata Salus mihi conſtet ſanguine Chriſti :
Fulmine, proſtratum eſt vile merentis opus.
Non per me viuo : per me ſi viuo, peribo,
Vita mihi Deus eſt, ſit mihi vita Dei.
Iudicij quodcunq; Dei fornace probatur,
Protinus horrendo funditus igne perit.
Eia homines faciant quæ ſunt pulcherrima Mundo:
Si iudex Deus eſt, omnis homo reus eſt.
Quis reus id præſtat, quod vult Deus ? id niſi fiat
Vim patiente reo, rem faciente Deo.
Cætera ſunt vmbræ : ſola eſt ſubſtantia Chriſtus,
Sola ſit à Chriſto vita, ſalúſq; mihi.
Lytron & antilytron Chriſti pretium omne Salutis
Implet : adimpleto, quid miſer addet homo ?
Vt poſuit Moſes animatûm in ſanguine vitam,
Sic Chriſti in fuſo Sanguine pono meam.
In vitio eſt virtus, ſi Chriſti gratia deſit,
Et bene ſi quicquam poſſumus, omne Dei eſt.
Non Deus hos fecit, ſed fel infecit ocellos,
Qui Chriſto limant dulce ſalutis opus.

O mihi ſit Chriſti pretioſi Sanguinis vndans
Balneolum, & meriti guttula nulla mei.
O mihi ſit ſtudij penſum me ſcire miſellum:
Et meriti (mortem præter) habere nihil.
O me me indignum, qui tollam ad Sidera vultus:
Tam mihi ſum meriti conſcius ipſe mei.
Sunt oculi teſtes, cordéſq; arcana fatentur,
Quem meriti Senſum mente gemente geram.
Sentio defectus, ærumnas ſentio vitæ:
His miſero demptis, ſentio pœne nihil.
Sanguine præ Chriſti, Iaſpis ſordeſcit & aurum:
Quid meriti faciet vilis amurca mei?
Dum lauer, & munder pretioſo ſanguine Chriſti:
Ardeat ô meritis ima Gehenna meis.
Si bene vixiſsem, mihi ſpes incerta fuiſſet,
At malè dum vixi, mors mihi certa fuit.
Eruet heu miſerum quis me de corpore mortis?
Vſq; tibi grates (Summe Redemptor) ago.
Chirographa admiſsæ ceſserunt irrita culpæ,
Quæ Satanæ Chriſtus fixit adempta cruci.
Si pro me ſeruo, Se morti tradidit author
Æternæ vitæ, filius ipſe Dei:
Num potero Domini mortem verna ipſe mereri,
Mors Chriſto vt cedat debita vita mihi?
Si laceri cordis barathro mihi manet ab imo
Sanguis, & in lacrymas tota medulla fluat:

Nil merear, non ipse meæ sim causa Salutis:
  Morte Redemptoris constitit illa Dei.
O peream, pereat ne Christi gratia: méq;
  In me, à me, pro me, constet habere nihil.
O de cœlesti storgarum (Christe) tuarum
  Ablue fronte reum, ne reus acta luam.
O carnis pertæsa meæ, mea vita misella;
  Currat in amplexus (Christe supreme) tuos.
Vis Satanæ me ignita petit: Satanæ inclyte victor,
  Vt Satanam vincam, suggere tela mihi.
Inquinor immundo Mundo: Sanctissime Iesu,
  Munder Ego à Mundo, Sanguinis amne tui.
Vror amore mei: mirande creator amorum,
  Vrar & igne tuo, da tua philtra mihi.
Seruio Spiritui Domino, carníq; Tyranno:
  Esto tuâ carnis victa Tyrannis ope.
Ne tenear mundo, ne terrear igne Gehennæ?
  Te teneam, & caleam pneumatis igne tui.
Æternæ cedant perituræ gaudia vitæ:
  Cœlestísq; boni terrea vincat amor.
Horreo quæ mea sunt, ne sim meus (optime Iesu)
  Quæ tua sunt cupio, quò tuus esse queam.
Sit mihi talaris de te (pulcherrime) vestis,
  Ne pars spurcitiæ nuda sit vlla meæ.
Agnus mactatus cum sis ab origine Mundi,
  Ne mihi iam proprium propitietur opus.

Adijce Seruatis vnum (*Seruator Iesu*)
Simpliciter Serum, suppliciterque tuum.
Agnosco pœnæq; malum, culpæq; reatum?
Hoc est, hoc verè est; hoc meritum omne meum.
Sed pœnam, culpámq, scio, flammásq; Gehennæ,
Et dominum inferni succubuisse tibi.
Hæc mihi sit fidei constans confessio. Méque
Hac solidâ quatiet machina, nulla fide.
Qui non (Christe) tuis meritis confidere tantùm
Saluificis voluit, noluit esse tuus.
Ipse tuis donis ingentibus omnibus impar,
Téne queam nihilo demeruisse meo?
Denarios centum Si quis tibi debeat: ipse
Debeo (Christe) tibi mille talenta decem.
In me peccati moles montésq; recumbunt:
Vt moueam montes, sit mihi (Christe) fides.
Summe Deus, mortis ne cædar vulnere: pro me
Ecce Redemptoris vulnera aperta mei.
Summe Deus, lacrymas qui colligis vtre tuorum,
Has famuli lacrymas ne perijsse sinas.
Peccati cædem lacrymarum Sanguine prodo:
Méque Redemptoris torret anhela sitis.
Eripe me morti, vitæq; exolue reatu:
Proq; meâ, Christi stigmata labe vide.
Debita pro seruo Dominus si indebita soluit:
Ne Domino Seruus (clamo) luente luat.

Scrutator cordis, renum explorator Iēſu,
Hic renum, ac cordis macto holocauſta tibi.
Te per ſudorem, per grumos Sanguinis oro,
Per lacrymas, luctum, probra, flagella, crucem,
Sit mihi ſpes ſit certa tuo ſignata Sigillo,
In meritis penitus nulla ſit arrha meis.
Hæc mihi ſit pietas proteſtantiſſima: méq;
Haud aliâ patiar relligione rapi.
Abſorpſit totum me vortice Chriſtus amoris:
Hîc lauor, hîc vngor, nudus, egenus, inops.
Hîc mihi Spes, hîc fixa fides, hîc arrha ſalutis:
Hoc hoc exundet fonte medela mihi.
Totus in Oceano ſi Chriſti Sanguinis eſſem,
Hoc poteram clyſmo labis egere meæ.
Ille, ille, ille Dei me Sancto veſtiat agnus
Vellere: Símq; tuâ (Chriſte) Salute tuus.
Saluator Mundi dulciſſime (mitis Iēſu)
Tu mihi, tu meritis, tu miſereſce tuis.
Thus, aurũ, & myrrhã precis offero: Supplicis (oro)
Accipe Rex aurum, myrrham homo, thura Deus.
Omnia quæ tua ſunt toti communia mundo,
Hæc meus vſq; mihi propria reddit amor.
Ne tua me reprobis vox læuum adiudicet hædis,
Sed ſtatuar cœlo dexter, & inter oues.
Qui tibi charus eram, dum me ſeruare volebas:
Ne tibi ſim vilis, dum perijſſe velis.

Me ſine te fateor, ſempérq; fatebor (Ieſu)
Vel meruiſſe mori, vel meruiſſe nihil.
Sed dum pro victo, victor, de morte triumphas,
Iam mea pœna tua eſt, iam tua palma mea eſt.
Ipſe propinaſti calicem mihi mortis (Ieſu)
Cum pro me dîxti, tranſeat iſte calix.
O mihi ſit lethum per te priuatio lethi :
Atq; in amore tuo ſit mora nulla mori.
Sit matutinum mihi vitæ gratia lumen :
Sic veſpertinum gloria lumen erit.
Debenti mortem merces indebita vitæ,
Per uitam & mortem ſit mihi certa tuam.
Aurea iuſtitiæ de te mihi flamma coruſcet,
Scintillante fide, & mente tremente meâ.
Imo vbi plena tuo ſemper torrente voluptas
Manat, vbi æterno fonte redundat amor :
Hinc mihi ſint hauſtus de te ſalientis Abyſſi,
Et mihi ſicca tuo ſanguine corda riga.
Sit tua (Chriſte) mihi mors victima, paſſio lytron,
Gloria crux, vibex vnctio, lucta quies.
Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat, odero ſemper,
Odero riualem (Chriſte ſupreme) tuum.
Sícne ſtipem meritis hominū blaſphemia mendax
Arrogat, & meritis derogat vſq; Dei ?
Iam iam pro meritis eſt Chriſtus cedere iuſſus,
Et *Capitolino* tradere Regna Patri.

Sic

Sic sic fecisti (speciose vicarie Christi)
Numen inane Deum, nomen inane fidem.
Vt meritò es meritus meritis meritorius esse,
Inferni, & nunquam limen adire Dei.
Vænundas cœlum meritis, Templúmq; profanas:
Et *Belial* audes consociare Deo.
Hæcne tua est pietas? hæc alma Ecclesia Romæ?
Síche Petrum Cstristus pascere iussit oues?
Siccine Tartareo Theomastix ore flagellas
Gratuitum fœdus iusticiámque Dei?
Si quis in obtuso tibi Sensus pectore: notas,
Has Antichristi dixeris esse notas.
Sed non est aliquo quod me pertundere Sperem
Pectoris incudem carmine posse tui.
Eia vt sacra fides, vt sancta Ecclesia Romæ est?
Vt Petri similes túque, fidésque tua?

De



De commento Transſubſtantiationis.

ELEGIA 6.

ARGVMENTVM.

Non tranſit panis Subſtantia, quando Sacerdos
In cœnâ corpus dat mihi (Chriſte) tuum.

ERrorem Oceanos decacornis beſtia ructat:
Hæreticiſq; fauet, Schiſmaticóſq; fouet.
Vna Petri Cathedra hæreticos tulit impia plures,
Quàm Sella in Templo Seſſilis vlla tulit.
Cætera prætereo, quia plus ſatis aucta legenti
Noſtra reformidat Piëris eſse tibi.
At verò eſt vnum, ſeptemplice pellice natum,
Horrendum, inſulſum, prodigiale, nouum,
Gorgoneum monſtrum, per quod ſubſtantia tranſit:
Vapulet hoc Satyrâ, Tiſiphonéq; meâ.
Hîc mihi ſcribenti proponitur ampla ſuppellex:
Et mea, quo ſpatio Muſa triumphet, habet.
Hîc vnde exuperant vndas, & abyſsus Abyſsum
Inuocat: eſtq; modus, non habuiſse modum.

Gens ingens, Gens vncta, Cohors Acherontica, Belis
Turma, creatorem sacrificando creat.
Plus certè est Christum, quàm totum condere mun-
Nec plasmare Deum, vel Deus ipse potest. (dum:
At vel mille Deos Latius Chimista creârit;
Ergo Deo maior Missificus Deus est.
Quid, quòd in ore Sacri sit tanta potentia Mystæ,
Vt voret ore suum, quem creat ore, Deum?
Nempe data est illi non contemnenda potestas:
Et facit, & factum non facit esse Deum.
Carniuorus carnem comedit, Christiq; cruorem
In Missâ exorbet, Mysta cruoribiba.
Horrendæ cædis reus est Christoctonus hospes,
Dum compressa Dei viscera dente molit.
Gens adeò audita est homicîdas ante papistas
Rara vorâsse homines, nulla vorâsse deos.
Hoc vno absurdo concesso mille sequuntur:
Multus in hac Hydrâ, fertilis error inest.
Gorgonei videor capitis spectare colubros,
Cum mihi Gorgoneum pectora dogma ferit.
Christophagus Cyclops immania guttura pandens,
Ore papista vorax, fauce papista bibax.
Dira Lycaoniæ celebrat conuiuia Mensæ:
Estque Thyestæas, Læstrigonúmq; dapes.
Nempe gulę artificem dentem, ventrémq; capacem,
(Haud mentem) ad mansum spirituale parat.

Graculus,

Graculus, haud Aquila est, qui sic conuiuia Christi
Vel meditatus adit, vel fruiturus edit.
Non Abraham, Sanctiq; patres, Sanctiq; Prophetæ,
(Queïs tamen hæc eadem Mystica mensa fuit)
Sic poterant Christo vescique, fruiq; Salute:
Quippe Theanthropi tum caro nulla fuit.
Cum mihi sit similis per Christum vita, salúsque;
Sumendi Christum par modus esto mihi.
Certè alimentum animæ non ore & gutture sumo:
Sed capio, & comedo, pectore, mente, fide.
Deuorat auditus Christum, intellectus eundem
Ruminat, & mansum digerit alma fides.
Quo Christum gustem, circumfero corde palatum: *Tertull. de carnis resurrectione*
Cœnáq; fit mentis, non mihi ventris opus.
Credita res fidei est præsens: præsentia Christi
In cœnâ vera est, sit modò vera fides.
Occisum Christus credenti occiditur: atq;
Semper adest fidei victima sacra piæ.
Adde quòd infanti nondum baptismate tincto,
Quêmq; recens natum Mystica lauit aqua.
Cum Christo haud esset communio, corpore corpus
Si tangi, & carnem carne necesse foret.
Infantes aliquos Herodes ense peremit,
Infantes omnes dogma Papale ferit.
Præterea hîc Christum comedit, qui credere nescit:
Hócque canis corpus, Músq; vorare potest.

Nec minùs hîc Iudas, quàm Petrus, corpore Chriſti
Veſcitur: & ſimili cœnat vterq; Dape.
An comedet Chriſtū, qui non de corpore Chriſti eſt?
An poterit Satanas participare Deo?
Mortua num fuerint in Chriſti corpore membra,
Quod violento, audax aſserit ore Papa?
Commentum horrendum, pietas inſana, Papiſmi
Cabala, Cleri Helene, futile phaſma Papæ.
Tam de pane Deus, quàm fit de Mure Camelus;
Non ſic eſt, aliud futile dogma Papæ.
At ſanè (quamuis Synodus collecta Tridenti
Id Chriſti hoſpitibus térq; quatérq; neget)
Qui modus in ſacro ſumit baptiſmate Chriſtum,
In cœnâ ſimilis debuit eſse modus.
Paſcimur hîc Chriſto concorpore: naſcimur illîc;
Et naſci, & paſci, dat mihi fœdus idem.
Symbolica in Sacro baptiſmate Signa manebant:
Ergo ſua in cœnâ Symbola Salua manent.
Sic viuo in Chriſto, vt fio de corpore Chriſti:
Et quæ me Chriſto gratia iungit, alit.
Vnio quam tribuit, ſeruat communio vitam,
Pneumatis illa fuit, Pneumatis iſta manet.
At verò, at verò (nam vero verius hoc eſt,
Réſq; ratam debet vera creare fidem)
Quod factum ex pane eſt, non eſt ex virgine factum:
Nec genitura fuit ſpicea (Chriſte) tibi.

Nec

Nec mulier farris promiſſum ſemen habebat:
 Nec ſimilæ mater Dia Maria fuit.
Nec radix Ieſſe gemmam protuſit ariſtæ:
 Nec Leo de Iuda iugere natus erat.
Nec Draco poſt Cereris ructauit flumino partum:
 Nec tibi (Leuiathan) triuit ariſta caput.
Adde quòd & ſumi, & conſumi ſentio tritum:
 Tum verò Chriſti dic vbi corpus erit.
Abſurdè abſurdus docet abſurdiſſima, quiſquis
 Abſurdum abſurdis fertile dogma docet.
Fulmineæ, properant rationum in bella cohortes,
 Quæ paradoxa fugant, & cacodoxa Papæ.
Quo vitæ panem Se dixit tempore Chriſtus:
 Chriſtus idem, ac idem, qui fuit antè, fuit.
Eſt Chriſtus vitis, via, vita: & quiſquis in illo
 Creſcit, it, & viuit, non perit, errat, obit.
Sic de Se Chriſtus: Sed non mutatus (opinor)
 Aut vita, aut vitis, vel via factus erat.
Et cur in cœnâ fieret mutatio, quando
 Pane dato, corpus dixit hoc eſſe ſuum?
Quòd ſi conſecrata ſemel ſit Myrias ingens
 Omnigenum panum: fiet & illa caro?
Atque olitoris equo panis confectus alendo
 Si conſecretur: fiet & illa caro?
Et ſi ſumatur ſolenniter hoſtia ſacra
 In Quadrageſimâ: fiet & illa caro?

Illo (credo(Sacrum piscescit tempore pistum:
Nam caro tum vetita est vesca, vetante Papâ.
O quàm Pythagoras Romæ stultescit acutè?
Quæ vetat, illa facit: quæ facit, illa vetat.
Prudens stultitia est, stulta est prudentia Patris;
Quæ statuit, violat: quæ genuit, iugulat.
Naturæ leges, & iura æterna refixit
Hæc Metamorphosis prodigiosa Papæ.
Quinetiam fidei neruos incîdit, & artus:
Doctrinæq; nouæ dissona monstra dedit.
Non typus est (aiunt) in verbis quatuor, *hoc est*
Corpus, & adijcitur vox operosa *meum*.
Sed tamen hîc tropus est, quia transmutatio certa est:
Sic esse affirmant, quod tamen esse negant.
Magna quidem vis est, & magna potentia veri,
Cum clarè elogium sumat ab hoste suo.
Sic aliquid semper fures in fata fatentur:
Perfidiámq, suo perfidus ore luit.
Pro Sacramento deliramenta Papistæ,
Proq; tropo, tropicam substituere stropham.
Quæ statuunt, tollunt: quæ damnant falsa, fatentur,
Subruitúrq; domus structa struentis ope.
Peruersa euertit sanum conuersio textum:
Et mactat gnomen impia glossa piam.
Nempe dedere tropum (verborum luce coacti)
Cum Testamentum dicitur esse calix:

Et cur non tropus est, cum panis dicitur esse
Corpus? An est alius Sermo, figura, modus?
Hæret, & attonita est Sententia deuia recti:
Atque manus infert hæresis ipsa sibi.
Infidus potiùs, penitúsq; incredulus essem,
Quàm tibi firmarem (blenne Papista) fidem.
Iliades multæ vani falsiq; sequuntur,
Quas mihi non omnes verberet vna dies.
Non totum Christi, sed totus Christus vbiq; est,
Hæc fuit Antiquis firma, tenáxq; fides:
Ergo caro Christi si non sit vbiq; locorum,
More Papæ in cœnâ non erit illa caro.
Si panis sit, corpus erit: non corporis vltra est
Mnemosynon, pignus, Symbolon, arrha, typus.
Non typus est corpus, typus est quod corpus adum-
Si res ipsa typus, desinit esse typus. (brat:
Omnibus in reliquis Signi mutatio Sacris
Nulla fuit: mutet cur Sacra cœna suum?
Nimirum id solùm firmant appensa Sigilla,
Promissum in scripto quod fuit antè mihi.
Signa suo nunquam sacra cum diplomate pugnant,
Ergo idem in Signo, ac codice Christus inest.
Sed non per verbum datur ori Christus edendus:
Ergo nec hoc verbi tessera cœna dabit.
Hæc Aquila est ratio; nam verum cernit acutè:
Quódq; videt, celeri transitione docet.

Et ratio hæc radijs Solaribus esse videtur
 Scripta, adeo forti lumina luce ferit.
Iam verò hoc vnum promam, præq; omnibus vnū,
 Fulmine quod iugulet dogma, fidémq; Papæ.
Si caro condatur Christi sub tegmine panis:
 Mortis in hac laqueus carne latere potest.
Septimus *Henricus* Germanicus Induperator,
 In Missâ (infandum) toxicon edit atrox.
At nunquam Christi miscetur carne venenum:
 Vitifer est Christus, mortifer esse nequit.
Miror non corpus Christi perijsse veneno,
 Quando aconiton atrox Missa dolosa dedit.
O qui Sacratum quondam coniecit in ignem,
 Corpus an hoc Domini credidit esse sui?
Confoderis Docto documento insulsus inepto:
 Teq; palam in laqueos induis ipse tuos.
Ipse meo clypeo quid te texisse laborem,
 Cum tu te iugules Sonticus ense tuo?
Quòd si Sacratus, sic panis transit, vt ipsi
 Christo ipsum corpus Mysta Sacrista creet:
Tum quot sunt panes, totidem sunt corpora Christi:
 Et quota pars panis, fit moda fracta, Deus.
Séq; nouâ Christus methodóque, modóq; vorabat,
 Quando epulator erat corporis ipse sui.
Nam (puto) bis Senis (cœnæ id Natura requirit)
 Discipulis pistum quod dedit, edit idem.

Quemq; bibit vitis fructum (mirabile) vitis
Sanguine Meſſiæ fertilis illa fuit.
Et toties animam diuulſam à corpore Chriſtus,
Corpus in hoc quoties offula tranſit, habet.
Nanq; anima haud (credo) Chriſti incruſtatur: in il-
Miſsa procax poterit iuris habere nihil. (lam
Quòd ſi mancipium verborum in punctibus hæres,
Nec vis libertus iudicij eſſe pij:
Panis vt eſt corpus (Scripturæ codice teſte)
Sic Sanguis Chriſti eſt (codice teſte) calix.
Et Teſtamentum eſt in Chriſti Sanguine quiuis,
A quouis quauis fictilis arte calix.
Nec tibi (Chriſte) parens tantùm fuit alma Maria:
Sed tibi (Chriſte) parens Miſſa dialis erit.
Nec frangi os poterat de Chriſti corpore: verum
Comminuit panem fractio, denſq; terit.
Nec tot conuiuis (quò ſumat quilibet inde
Particulam partis) ſufficit vna caro.
Dumq; ſimul capitur cœlis hoc corpus & aris:
Continui Chriſtus corporis eſſe nequit.
Et fieri vermes corrupto ex pane fatendum eſt,
Quod non de Chriſti corpore poſſe liquet.
Inq; Scypho vini ſiquid ſeruetur, aceſcit:
Dulcis at es ſemper Sanguine (Chriſte) mihi.
Inque manu corpus crucifixum (Chriſte) tenebas,
Ante cruci fixum quàm tibi corpus erat.

Has qui perplexas lites componere curat,
Ille oleum, ille operam ludit, vtrumq; simul.
Tripla Papæ fieret si ter triplicata corona,
Ex his se pedicis expedijsse nequit.
Et quid deliræ Missæ phantasmata coner,
Plura ciere mihi, plura referre tibi?
En citò (Christus ait) venio: non hactenus ergo
Venit, & in cœnâ dente vorandus adest.
Relliquiæ quondam cœnæ sunt ignibus vstæ:
Vstáne pars istis ignibus vlla Dei est?
Nil olim fuso sine Sanguine Sacra placebant,
Etiam Missa potest cassa placere Deo?
Ebrietas sequitur nimiùm si vina bibantur:
Hócne tuo fieri Sanguine (Christe) potest?
Cúmq; apud hos Mystas tenuet Neptunus Iacchũ:
Vnda quid hæc fiet, Sanguinis anne serum?
Vera caro hìc Christi latitat sub panis amictu:
Inque locis multis corpus habetur idem.
In toto totum est, & totum in qualibet offæ
Parte, nec in toto pars habet vlla situm.
Pes, caput, os, humerus, stomachus, pectúsque, ma-(núsq;
Sunt simul, & distant Sedis honore nihil.
Pendula subsistunt Subiecti expertia Signa:
Hócq; vagum aëreum pascit inane famem.
Pistores carnes pinsunt, & Sanguine depsunt,
Si Deus hoc Italus voce potente iubet.

Iussa statim parent Missanti farra Tonanti :
  Iusserit hic offam ? iussa fit offa caro.
Quando suæ specimen vult edere presbyter artis,
  Triticeam tunicam dátq; adimítq; Deo.
Quando sonum magici Missator murmuris edit :
  Aduena fitq; caro, fitq; farina fugax.
Labra potens mouit factor factoris, & offa
  Non caro, non audet protinus esse Dei.
Per bis verba duo, fit commutatio mira :
  Hæc abit, illa venit, res sine veste rei.
Quando Papam in pupam vi Missæ videro verti,
  Mutari credam crustula carne Dei.
Nulla est hîc *Quanti* dimensio : Sensile corpus,
  Deprendi Sensus proditione nequit.
Nec mensura Siti, Naturáue corporis hîc est,
  Nec certæ indicium, iudiciúmue rei.
An tecto, an nudo, vescamur corpore Christi,
  Hoc Romæ expediat tonsus Apollo mihi.
Quippe Sacræ instituens Christus ritualia cœnæ,
  Saltem albâ, aut lænâ, aut sindone tectus erat.
Nec populnm in cœnâ iam Christum sumere nudũ
  Fásue piúmue putant, mósue pudórue sinunt.
Si veste indutus Christus sumatur : in illâ
  Veste quid os comedit ? num caro vestis erit ?
Non mihi si centum Phœbi Musæq; ministrent,
  Et flueret calamo carminis vnda meo.

Eluerem Augiæ ſtabulum, Lærnæq; paludem,
Quam mihi commentum prodigiale ciet.
Exorciſatus ſubmiſſo murmure panis
(Noxius vt Dæmon) ſueuit inire fugam.
Cruſtula ſacra crucis ſigno ſignatur: & vltro
Panis in hoſpitium carnea Maſsa ſubit.
Mira cano: corpus pollente fit ore miniſtri
Prorſus idem numero, quod fuit antè, Dei.
Pane incarnatur, carne impanatur: & offæ
Exulis in tenui tegmine Chriſtus ineſt.
Et quis tam demens (ſic dixit Tullius olim)
Qui quo veſcatur, credat id eſſe Deum?
Tranſclementatur panis ſubſtantia: verùm
In pane eſt aliud, quàm fuit antè, nihil.
Hîc caro carne caret, neq; rubra rubedo rubeſcit:
Nec ſimilæ eſt ſimilis conſimilis ſimila.
Num caro carne caret, neq; rubra rubedo rubeſcit?
Quis cerebrum in cerebro credat ineſſe Papæ?
Non ipſum hîc ipſum eſt, quod non diſcernis ab ipſo,
Quilibet hîc Senſus deſipit, errat, hebet.
Res eadem haud eadẽ eſt ſub eodẽ tempore: quódq;
Hactenus hoc ipſum eſt, non tamen illud idẽ eſt.
Hoc eſt (ſed non eſt niſi mox conuertitur) hoc eſt
Corpus, at in corpus tranſeat offa priùs.
Adiuncto immoto Subiectum eſt mobile: dúmq;
Effigiale manet, materiale fugit.

Fit nihil ex aliquo, non fit de corpore corpus:
Quodq; fit, id non fit: quodq, quit, esse nequit.
Siqua alias omnes suprema insania vincat:
Plasma sit hoc Romæ, futile phasma Papæ.
Bella per Ausonios plusquàm ciuilia campos
Hæc Metamorphosis prodigiosa ciet.
Omnia ventorum concurrere prælia dicas,
Tam numeri innumeri dissona turba fremunt.
Litem omnes ex lite ferunt, veterúmq; recisâ
Progenie errorum pullulat Hydra noua.
Corpore pro Christi, vix (heu) Ecclesia corpus
Est Christi: ΕΙΡΗΝΗΝ res ea fecit ΕΡΙΝ.
At nos duntaxat bella importuna canemus,
Inter Ericthonios, Andabatásq; Papæ.
O qui sunt pugiles isti, quos efficit haustus
Hæmoboros potus, Sacrophagósq, cibus?
Rixantur Fratres, altercantúrq; Sophistæ:
Confremuere Scholæ; prosiluere minæ.
Dissona collatis concurrunt agmina Signis:
Rauca Lycęa crepant, Spissa theatra boant.
Grammaticale fremit bellum, bellúmq; reale:
Confoditúrq; frequens dogma sequente prius.
Insurgunt Scioli: Monachorum examina densa
Occlangunt: Hæret pes pede, virq; viro.
De *Quercu Petrus* pugna, de *Monte Iohannes*
Oppugnat: validâ sæuit vterq; manu.

Intonat *Alphonsus*, superintonat arduus *Hugo*:
Contremuítq; *Polus*, concrepuitq; *Lyra.*
Quêis argumentum desit, clamoribus instant:
Et rabie certant, qui ratione carent:
Iodocus probat hoc, *Faber* improbat, approbat *Occam*:
Martem acuit *Thomas*, trux fremit ore *Scotus.*
Andradius, *Driedo*, *Catharinus*, *Carthusianus*,
Alter in alterius vulnera fronte ferit.
Guido, *Capistranus*, *Sotus*, *Copúsq;*, *Canúsq;*,
Dogma vetus iugulat, dogmate quisq; nouo.
Verberat hic auras, hic litem lite resoluit:
Non secat hic nodum, non ferit ille scopum.
Victor victus abit, iugulans iugulatur ab hoste:
Quiq; petit, petitur: qui perimítque, perit.
Bella Biel infert: bella arma minásq; minaris
Bellarmine, tuæ gloria magna Scholæ.
Bonnerus balat, *Lindanus* lallat ineptas:
Lombardi bardi turbida turba coit.
Ecchius atq; *Hosius*, *Dorbellaq;* *Dunsq;* duellant:
Rudit iners *Pighius*, sæuit *Alanus* atrox.
In quemuis cuiuis mos est effundere quiduis;
Sic Cadmęa cadunt agmina Marte suo.
O Papa lux Mundi, fidei Dux, regula vitæ:
Sicne tua impietas constat inepta Sibi?
Quâ tu te nobis effrontem fronte negabis,
Ista duella neges si Gregis esse tui?



De morum corruptelis in vrbe Roma.

ELEGIA. 7a.

ARGVMENTVM.

Quâ ſit in vrbe Seges vitiorum maxima neſcis?
Vrbis Romanæ crimina diſce, ſcies.

FOrſan & in ſeptem celebratâ montibus vrbe
Quàm ſit viuendi regula Sancta, rogas.
Antiquæ (hiſtorijs ſi fas ſit credere) Romæ
Iam Româ in mediâ fas reperire nihil.
Surculus eſt Satanæ Stygiâ de ſtirpe Papiſmus,
Omne genus vitij Surculus ille tulit.
Latronum ſpelunca, Orbis commune lupanar,
Omnis nequitiæ propudioſa domus.
Cui non vrbs ſeptem montes complexa videtur:
Inſcius is rerum eſt, hiſtoriæq; rudis.
Quid mihi ſuccenſes Babylon, oh crimina nota
Si pateris calami ſtigma, flagrúmq; mei?

O Papa coniugij ſpretor, cui pectore puro
Pinguiculi Cleri militat vncta cohors:
Sic tædæ dudum pertæſum eſt téq; tuóſque,
Sit purdor vt ſponſas præpoſuiſſe Lupis.
Túq, Gregéſq; tui certè eſtis ſpirituales,
Vos adeò impurat ſpiritus ille malus.
Vita tuis agamis quàm caſta & cauta, repertum
Sæpius infantum Golgotha teſtis erit.
Dum Papa Siricius prohibet connubia Clero:
Iuſtificant Sodomam: Templa dicata Deo.
Heu quàm præſtaret reſcindere turpia vota,
Quàm vitæ impuræ vinclâ pudenda pati?
Non eſt Relligio, non virtus maſcula Romæ:
Dedecet hæc hominum ſpirituale genus.
Nempe fides Romana mares emaſculat omnes:
Prægnantíq; Orbem virginitate replet.
Auctior vt fiat Sacroſancta Eccleſia, nympha
Sancta patri Sancto pignora ſancta parit.
Plurimus eſt Dæmon hic incubus, & pia virgo
Poſſeſſa à tali Dæmone ſæpe gemit.
Abſq; ſuis viuunt ſponſis, ſed non alienis:
Forſan in hac poſsunt carne placere Deo.
Relligio in luxum ſic deſpumauit: inérſq;
Conditio vitæ plurima monſtra tulit.
At credo vt Cathedræ proſit, Sanctæq; Tiaræ,
Ipſa meret licitè Thais in æde Dei:

Quinetiam

Quinetiam multo pietas vberrima quæstu
    Crescit, & è lucro non malus vndat odor.
Sícne (profane) tuum Corban loca sancta profanat?
    Sícne holocausta offers de meretrice Deo?
Indulgétne tua infando indulgentia stupro?
    Indulgere tibi mens pia nulla potest.
Ad mala libertas non est sumenda redemptis,
    Sanguine libertas constitit illa Dei.
En verò Latiæ numerosa examina stirpis,
    Pontificale decus, spirituale pecus.
Myriadas Monachorũ, Eunuchorúmq; phalangas,
    Stemmatis agnosco germina pulchra tui.
Agmina veruecum, conferta armenta spadonum,
    Se lateri agglomerant, militiæq; tuæ.
Tot tibi sunt sancti patres, tot cœlibe vitâ
    Angelicæ Nonnæ, Virgineíq, Chori:
Tot papaselli agami, tam densa abdomine pingui,
    Progenies Grylli relligiosa phalanx.
Támq; frequens superat fraterrima fratria fratrum,
    Quot rapidus stellas axis vterq; rotat.
Innumeri numeri fruges consumere nati,
    Sardanapali acies, luxuriosa cohors.
Agmina Bruchorum, porcorum pulchra propago,
    Colluuies Mundi, Votifragúmq; pecus.
Ni ventris veneríśq; vicissim numen adorent:
    Nil aliud veteris relligionis habent.


O Monſtra à vitijs nullâ virtute redempta,
  Qualia multa breui tempore Roma tulit.
Funera dum faciant epulis, ſiccéntq; cululloſ:
  Sat faciunt operis, ſat pietatis habent.
Multa quies, & feſta dies, & panis abundans,
  Hos mirè impinguat, folliculóſq; facit.
ΑΣΚΙΤΑΣ dices, ΑΣΚΗΤΑΣ eſſe negabis,
  Quêis adeo ventris vaſta ſaburra tumet.
Quid Monachus? carnis cumulus, viniq; cululluſ,
  Cui ne putreſcat, pro ſale vita data eſt.
Credo equidem Circen mutâſſe potentibus herbis
  Inq; Sues Monachos, in Monachóſq; Sues.
Non adeo Agricolæ à talpis diſtare videntur,
  A Monachis priſcis quàm variare noui.
Quid fratrũ ſquamoſa Cohors? Acherontica proles,
  Locuſtarum acies, pamphaga progenies.
Mercator ſapiens vix emercabitur vnâ
  Nudipedum bipedum corpora mille boue.
Multi hîc ſe iactant titularis nomine Chriſti,
  Quorum vita negat flagitioſa Deum.
Igneſcunt multi zelo, quêis perlita fuco
  Eſt pietas ſterilis, Relligióq; ferox.
Ædificat verbo cœlum, vitáq; Gehennam,
  Plurima quæ Chriſtum prædicat vncta Cohors.
His peccatillum leue ſit ſcortatio, & illam
  Supplicio Sontes candidiore luunt.

Has

Has patitur Sordes Vrbs vnum Roma Lupanar:
Tota modo est vnum, multa fruere prius.
Pontifices, Monachos, fratres, examina sanctè
Sancta, quis inficias, iuerit esse Patres?
Qui natos genuere, Patres sunt nempe vocandi,
Lege ratâ tales esse relata scio.
Nónne tibi videor satis hanc commôsse lacunam?
Vísne satellitium molle videre Papæ?
Purpurei Romæ Proceres, Cedríq; potentes,
Gloria Cardinei conspicienda Chori.
Nil contendentes ob vani gaudia mundi,
Et contemnentes quid noua luna vehat.
Ore graui, flammante togâ; radiante galero,
Vt vitâ splendent, vt pietate nitent?
At verò (verum si fas sit dicere) véstis
Purpurea his Christi sanguine tincta rubet.
Immani Christi mactant feritate bidentes:
Inde rubent vestes, inde coruscat apex.
Fastidite merum petasati, haurite cruorem:
Nobilior multò spiritus inde venit.
Sic Gregis hi summi Ductores spiritualis
Cardineum sanctè munus obire solent.
Sic Christo parent, sic vitam Christida ducunt:
Sic Christum purâ Relligione colunt.
Inferni possunt hi Patres esse columnæ:
Sed Templi nequeunt esse, domúsq; Dei.

Quid moror exemplis? deſcripta volumine iuſto eſt
Vita Latinorum prodigioſa Patrum.
Quæ Sol erubuit ſcelerum portenta videre,
Noſtra reformidat Muſa pudica loqui.
Sæpius hic cecidit de cœlo ſtella ſereno:
Et caſtum inceſtum prodidit atra dies.
Hiſtoria exhalat tetram Romana mephitim;
Et Scena obſcœna eſt quam ſtruit vncta Cohors.
Metropolis Mundi vitijs Roma omnibus ingens,
Metropolitani Sella profana Papæ.
Prodigijs ſcelerum vix eſt ceſſura Gomorrhæ:
Tot ſceleratorum Monſtra pudenda tulit.
Nec niſi ſupremo generalis vortice flammæ,
Tale gelu ſcelerum delicuiſſe poteſt.
Roma potens opibus, celeberrima Roma triumphis,
Iam magni Imperij cauda, aliquando caput.
Nequitiæ ſtabulum, cædis crudele macellum,
Cella ſtupri, luxus Sella, propina gulæ.
Harpyijs multis, & multis plena Moloſſis,
Seditione furens, ambitione tumens.
Hieruſalem ſanctæ tam verè es Roma Character,
Quãm Chriſti eſt Icon Metropolita tuus.

De



De lucrosa sub Papatu rerum *omnium nundinatione.*

ELEGIA 8^a^.

ARGVMENTVM.

Num Petrus ille Simon fuerit Romæ, ardua lis est:
Lis nulla est, fuerit num Magus ille Simon.

IN noua fert animus mutatas dicere normas
Aucupia, ad Domini iussa, modósq; Papæ.
Instar aquæ hic Orbem terrarũ lambit, & ambit:
Instar aquæ radit, rodit & instar aquæ.
Dira Papæ ingluuies intercute peste laborat;
Quò magis illa capit, plus sitibunda cupit.
Omnia sunt Chrysulca Papæ diplomata: quippe
(Vt ferrum Magnes) fulua metalla trahunt.
Quisq; Papam patrem memores colitote Papistæ:
Hoc quod habetis opum, patris habetis ope.

Hic *Ezra* explanat Mosen interprete Nummo.
Omne nefas fit fas omnibus ære dato.
Pharmaca commiſſum depurant aurea crimen:
Et cauſam argento vincit agente reus.
Infixus Mundo, ſed Mundo non crucifixus,
Sic bibulo Mundi feruet amore pater.
Rem facit, & ſacræ politiæ conſulit: atquî
Eſt Politiâ Papæ magna atheïa Deo.
De cœlo eſt Chriſti regnum, & cœleſtia tractat:
De terris regnum Pontificale ſapit.
At ſapit incaſſum, quiſquis ſapit omnia Mundo,
Nec ſapiendo cauet deſipuiſſe Deo.
Graſſatur Satanas quærens quem deuoret atrox:
Hoc ipſum Romæ Coſmopolita facit.
Inter opes poſſeſſor inops, variiſq; rapinis
Vt porro rapiat, creſcit anhela ſitis.
Iordanem ſperat ſe poſſe haurire Behemoth:
Expleriq; nequit dira vorago Papæ.
Perplexis legum laqueis, & compede cæcâ,
Irretit miſeras paſtor auarus oues.
Nummiuoro mutat tua (Chriſte) Sacella macello:
Nec tibi quærit oues, ſed ſibi captat opes.
Gratia nummorum minor eſt, quàm gratia morum,
Ante Deum: Oeconomum non tamen ante Dei.
Nimirum Cleri Polyphemus, & arduus Atlas,
Hac Templum fulcit ſtrenuus arte Dei.

Ille vafer technas, & miras extudit artes,
Atque cato methodos pectore mille tenet:
Quarum quę formâ est pulcherrima Chrysopoœam,
Connubio stabili iunxit, habétq; sibi.
Amphisbæna Papæ est pietas, Dominísq; duobus
Seruit: sat mundi, vix studiosa Dei.
Qui bona dona dabunt, sua dona hos pontificabunt:
Cui nihil est domi, mussitet ille domi.
Prochristus leges fixit, pretióq; refixit:
Iussáq; proscripsit, prostituitq; Dei.
Fratriam vt Herodes ducat, Baptista Iohannes
Non siuit: Petri dia propago sinet.
Omnibus est Paulus lucrandis omnia factus:
Prochristo est lucri maxima cura sui.
Adduci primò conuiuas, postea cogi
(Christe) iubes: cogit vísque minísque, tuus.
De spinis imposta fuit tibi (Christe) corona:
Ex auro triplex fert diadema tuus.
Sic Petrum, Paulum, Baptistam, deniq; Christum,
Mirificè superat Pontificalis apex.
Muneris hic auceps, & lucri peruigil Argus,
Dum nummo pedicas, insidiásq; struit:
Ex censu Sontes taxat, graue crimen in ære est?
Hæresis est aurum, res facit esse reum.
Sontica sic plectit viscatis legibus æra:
Et nil lethale est præter habere nihil.

Nunquam

Nunquam peccabis ſpondet mortaliter, auri
Mortua ni fuerint antidota antè tibi.
Bullipotente Papâ veniam indulgente malorum,
Et pœnæ, & culpæ, tollitur omne malum.
De rebus minimis mos illi figere leges,
Quas lucrum caſſas illico dulce facit.
Promuſcis parua eſt quâ ſorbet Muſca cruorem:
Et lis parua Papæ maxima lucra creat.
Ad leuiora fremit, conniuet ad horrida lippus
(Si fœlix auri fulſerit aura) Papa.
Protinus excuſsâ peccati compede, culpæ
Pura anima ad cœlos (ære redempta) volat.
Da patri, & quiduis ſcelus imperterritus aude:
Author ob auſa reus, non reus auſa lues.
Donanti quiduis fit condonabile dono:
Tam venale malum, quàm veniale facit.
Sic eſt exitium Romæ lethale crumenæ,
Non peccatorum pœna, animæue ſalus.
Da, da, da, clamat Romanæ Sedis hirudo:
Et diram irritant ipſa alimenta famem.
A Nummo chriſma eſt; à Nũmo eſt omne chariſma:
Req; care nullâ, qui minùs ære caret.
Haud vlli gremium Romana Eccleſia claudit,
Qui matrem obſequijs, muneribúſq; fouent.
At meminiſſe decet (nanq; hæc diſtinctio nota eſt,
Et crebro hanc nobis ingeminare ſolent)

Magna

Magna Petri cathedræ eſt, & ſupra iura poteſtas,
Nec nihil eſt Domini numen habere Papæ.
Ille Simoniacus nequit eſse: dat omnia gratis,
(Dona dat, vt dones: vt capiáſque capit.
Dat tibi, das illi: quid munere purius iſto eſt?
Omnis amortales debet habere vices.
Quid memorem laqueos, nexúſque, plicáſque, ſtro-
Quas miſeræ plebi tendit auara cohors? (pháſque,
Ardet inexpletum Romæ implicata Charybdis,
Quæ nimis haurit opes, nec ſatis haurit opum.
Omnipotentis habet vires eccleſia Romæ,
Et iecoris venas omnipatentis habet.
Informes normas, enormes Curia formas,
Romana arbitrio fingit iniqua ſuo.
Lite forum mugit, probitas multatur, & ære
Proſtituit linguam garrula turba ſuam.
Suada potens auri re nulla obſtante perorat:
Tanta Papæ Rhetor Numina nummus habet.
Quinetiam Romæ (quo cauſæ tempore ceſsant)
Illico cauſidici, cauſifici eſse queant.
Iudicium hîc iuris Iuriſtæ vendere poſsunt
Iure bono, quoniam munere munus emunt.
Circumcurſantis numeroſa negotia plebis
Impedijſse ſolent, expedijſse dolent.
Grata venit Romam quæ portat quæſtio, quæſtum:
Quæ nihil attulerit, muta ſit illa domi,

Fit Laidi frustra supplex deplumis amator:
Et frustra Romam munere cassus adit.
Excolat culicem, deglutit Roma Camelum:
Sontibus indulgens, innocuisq; ferox.
Vexat ouem, missúmq; facit censura Leonem:
Quódq; lupus peccat sonticus, agna luit.
Sic est vænalis Romanæ sancta cathedræ
Iustitia, & pretio prostat auara Themis.
Actio Apostolica est peccatum immane Regentis:
Actio Apostatica est crimen inane Gregis.
Admiranda cano: sed quid non summa potestas,
Et suprema Papæ pambasilia potest?
Summe patrum, Dux alme ducum, Rex magne Regentûm,
Sícne gregres Sacros aurea virga regit:
Quem tu te præbes Mundo Latialis Abaddon
Præter nummiuorum Legirupámq; Papam?

De



De horrenda ſcelerum omnium *licitatione, & puluerarıa apud Anglos proditione.*

ELEGIA. 9ª.

Argumentum.

Propter auaritiam ſunt aurea Secula Romæ :
Propter Sæuitiam ferrea ſemper erunt.

VErè vulnus atrox eſt diſpenſatio legis.
Diſpenſat quæ vult, omnia (Chriſte) tuus.
Ius, iuſiurandum, ſponſalia, fœdera, vota,
(Has Satanæ, haud claues dixeris eſſe Dei)
Diſſoluit, difflat, peſſundat, diſſipat. Obex
Arbitrio poterit nullus obeſse Papæ.
Et quin mox omnes alieno liberat ære,
Cætera qui nullâ tam citò ſoluit ope ?
Illius arbitrium fit rerum norma : capeſcis
Iuſsa Papæ ? facti non potes eſse reus.

In quemuis, cuiuis, quiduis, committere fas eſt.
Pontificante Deo, fas faciente reo.
Horrendam praxin ſupremæ proditionis
(Cui prior haud ætas audijt vlla parem)
Nuper apud Britones homicidæ iniere Papiſtæ:
Cuíq, reor ſimilem Secula nulla dabunt.
Horreſco referens, tremulis vox faucibus hæret:
Quaſſa manus variat, mutáque Muſa mea eſt.
Conuenere Duces, putei Gens atra profundi,
Inque nouam ſtudijs incubuere ſtropham.
Hanc informarunt Romæ: fuit Itala pellex
Mater, & obſtetrix dira Megæra fuit.
Rex, Soboles Regis, Proceres, Patréſq; verendi,
Nobilitas maior, Nobilitáſque minor.
Coccineũ Themidos Numen, legúmq; Tetrarchæ,
Atq; Equitum præſtans, Armigerûmq; cohors.
De rebus Regni collecta frequente Senatu,
(Anglia conuentus quâ celebrare ſolet)
Exitio horrendo, Coniuratoribus iſtis,
(Ni rem feciſſet ſumma pronæa palam)
Puluere ſulphureo rapti, ſparſiq; per auras,
Hauſiſſent vitæ fata ſuprema ſuæ.
Heu dirum, infandum, ſtygium, damnabile factum,
Exemplóque carens, párq; ruina ſui.
O cædes, ſtrages, cladéſq; incognita Mundo,
Dæmonis inuentum, decipulúmq; nouum.

Nil

Nil ſub ſole nouum fuit olim: tempore noſtro
Hoc ſub Sole nouum eſt, prodigiale nefas.
Aurea prima (Dei quaſi filia) prodijt ætas:
Vltima Sulphurea eſt filia Dira Papæ.
Ah pia cura patris, dulciſq; pronœa Latini,
Vt pater hic reliquos vincit amore patres?
Ne ſua non adeant cœlum poſt fata Britanni,
Tartareo viuos puluere adire facit.
Hæc ſunt Romanæ compendia relligionis:
Omnes hauſiſſet funditùs vna dies.
Vaſta Palatino ſunt ora & guttura Monſtro:
Vno atrox hauſtu millia multa vorat.
O Genus exutos hominem crudele Papiſtas,
Monſtra odioſa homini, Monſtra odioſa Deo:
Vos turbatores Regnorum, auidóſq; cruoris,
Qui Senſere, pauent: qui ſapuere, cauent.
Eheu tot cæſis inconſolabile funus,
Quod dare non poterant, ſed voluere datum.
Hæccine Relligio quæ vitam Chriſtida tradit?
Hæcne Papæ pietas? hæc Sacroſancta fides?
Non facienda mala, vt veniant bona. Num faciendũ
Tale Malum, vt veniat Pontificale bonum?
Omnibus Ordinibus ſi ceruix vna fuiſset,
(Quod Nero Romanis diſcupiebat atrox)
Protinus hæc ceruix vno ſuccîſa fuiſset
Vulnere, vim gladij non imhibente Deo.

O facinus dirè dirum, Dirísq; vouendum
Omnibus: ô maior magna ruina fide.
Omnia qui præsens vidit, qni visa notauit
Omnia, vix oculis credidit ipse suis.
Siccine Sulphurei flammis torrentibus ignis
Suadet Apostolicam Roma, probátq, fidem?
Ah nunquam gladijs armata, instructa venenis,
Palliolo Satanæ tecta, parata neci:
Relligio Christi processit in atria Regum,
Ante Philistæi tempora dira Papæ.
Eheu, num Regum piscatur Sanguine Petrus?
Non, magis hamator Belzebub extat atrox.
Captus ego à Petro quò fiam Sanguine fuso,
Haud tanti stabunt Roma pedúmq; mihi.
Sic sic perfidiæ Romanâ in relligione,
Vt fidei crypsin) proditor omnis habet.
Heu sæpe erupit Tarpeiâ infestus ab arce
Ventus, & euentus funera magna dedit.
Igniuomos natos (*Ignati* ignare) dedisti,
Si genus (vt perhibent) sit Iesuita tuum.
Relligio semper fraudi prætexitur: atque
Impius insidias ex pietate struit.
Sæpe sub oscillo latitantem Dæmona fouit,
Iussa Patris Latij dum Iesuita facit.
Arma pijs olim lacrymæque precésque fuerunt:
Iam sunt arma Papæ, sica, venena, faces.

Vipereos

Vipereos animans natos in viſcera matris,
Et ferus, & verè ferreus ille fuit.
Sanguine gaudentes, ferróque, ac igne Papiſtas,
Indutos hominem Dæmonas eſse putes.
Cum tot fulcra ferant Romanam relligionem,
Præcipua in cæde, ac ſanguine fulcra locant.
At dum ſæpe Suos iugulant, & funera miſcent:
Symbola dant fidei, perfidiæq; ſuæ.
Intergo portant nemeſin, qui in pectore crimen:
Et nunquam in Chriſtum praxis multa fuit.
Heu quæ Tiſiphone meditata eſt morte gemellâ
Excidium noſtris, exitiúmq; ſuis?
Nempe Petri vt Sedes fidei ſit petra, probabunt
Sal petræ, inſidiæ, ſulphura, flamma, faces.
At tandem mundo detecta eſt techna Papalis:
Tarpeiámq; Rheam iam pudet eſse ream.
Prodijt in Scenam Romani drama Tragedi,
Sed Deus exoſus noluit illud agi.
Roma ſtruis nidos, excludere neſcia pullos?
Hîc agnoſce manum muta, morámq; Dei.
Sic non ſperato partu peperere Papiſtæ,
Quod ſpe tam longâ parturiere priùs.
Eumenidum fleuere genæ, ſuſpiria Diræ
Rupere, Inferni contremuere Poli:
Succeſsu ſceleris pyrios caruiſse Papiſtas,
Et tanti fruſtra texta fuiſse doli.

Exultate

Exultate nouâ Gens læta salute Britanni,
Et nunquam vobis excidat ista dies.
Ignibus inferni rapuit vos Christus: at iste
Ignibus inferni proximus ignis erat.
Atra Britannorum quæ Lux æterna fuisset,
Alba Britannorum quinta Nouembris erit.
Lux erat hæc Martis, sed iniqua Papalibus ausis:
Mercurij ad cineres aptior hora fuit.
Non tu speluncâ (*Daniel*) erepte Leonum
Debebas laudum tanta tropæa Deo.
Sæpe animosorum compescitur ira Leonum?
Ira Papistarum sæuior vsq; furit.
Exululate truces, & semper flete Papistæ,
Sulphureæ horrendum relligionis opus.
Oceani eluuies haud eluet omnibus vndis;
Stigma tenax fraudis (persida Roma) tuæ.
Transalpinati nostri peperere Papistæ,
Tale cruentati sæpe furoris opus.
Sícne leues animum mutant, qui trans mare currunt?
Cogantur potius *Lege* manere domi.
Nimirum hoc factum tam detestabile Summus;
Hortatu suasit Pontificalis apex.
Nam qui vult fieri, quod pœne fit: ille volendo
Incipit, & si non officit, ille facit.
Quòd si non omnem eiecisset pectore patrem,
Non in nos adeo Vitricus esset atrox.


Illius


Illius è Bullæ bullis, ebulliijt omne
Dirum, horrendum, atrox, Tartareumq; nefas.
Ille adeo secum: faciat bustum vna Britannis
Quod factum, taceat nulla futura dies.
Num sceleratus erat cacoplastes, aut scelus ipsum,
Sic ausus cathedram conscelerare Petri?
Olim Pontificem (at nunqnam sine Sanguine fuso)
Sanctorum in Sanctum legimus ijsse Dei.
Vix Capitolinus (nisi quid de sanguine tractet)
Ingreditur *Shiloh* Prę sul Asyla sui.
Hactenus expôstum est incœptum è pluribus vnũ,
Nunc alia audito (vix meliora) Papæ.
Hic Dispensator vitijs alimenta ministrat
Omnibus, & scelerum pullulat inde seges.
Sons homicida (Papa indulgente) superfuit insons,
Et quasi sicca statim Sica cruenta fuit.
Si de Tarpeiâ dispenset rupe Sacerdos,
Commissi admissi non potes esse reus.
Aut si fortè reum te fecerit actio legis:
Actio læthalis non erit illa tibi.
Cognatum est diploma Papæ cum sanguine Christi,
Depurat Sontes, abluit omne nefas.
Cædes, bella, doli, periuria, Sancta Tiara
Iusserit vt liceant? protinus illa licent.
Nempe Papæ arbitrium faciendi est regula facti:
Summáq; lex legum vincula nulla pati.

Tu modò, quis iubeat, non quid iubeatur ab illo,
 Conſule: & intrepidè iuſſa capeſſe Papæ.
Iuſſa capeſſe Papæ: nam Chriſtus iuſſit vt omnes
 Parerent Domino, Semideóq; Papæ.
Eſt catapulta illi cubitus, balliſtáq; pugnus,
 Atque aries humerus: ne feriare, caue.
Nempe Petro primùm dedît hæc Regalia Chriſtus
 Iura, cathedrato, protopapǽq; Petro.
At verò Petri eſt hæres Patriarcha Latinus,
 Quem cathedram, & Mitram conſtat habere Petri.
Imperium, diadema, thronum, ſuper omnia Mundi
 Regna, dedit Petro Petra, Petrúſq; Papæ.
Quîq; ciere poteſt patres, de ſtemmate patrum eſt
 Patricius: Petrum ſed ciet ille patrem.
Ergo Petro ſi quid Chriſtus legauit honoris,
 Indubiè id Dominum conſtat habere Papam.
Et ſi qua Archetypi eſt memorabilis actio Petri:
 Actio Petreij mox erit illa Patris.
Vox populi vana eſt, non eſt ex traduce virtus:
 Sola Petri Soboles excipienda fuit.
At vero pietas, confeſſióque vltima Petri,
 In cathedra cathedram neſcit habere Papæ.
Ter Petrus te (Chriſte) fide titubante negauit,
 Te Papa Prochriſtus térq; quatérq; negat.
Pœnituit Petrum (cùm egreſſus fleret amarè)
 Sed nondum conſtat pœnituiſſe Papam.

Deniq;


Deniq; cæſus erat pro te Petrus enſe: ſed enſe
Membra tua, & rapido deuorat igne Papa.
Euge Papam quis habere pedum, cathedrámq; nega-
Atq; ideam veram Martyris eſſe Petri? (bit,
Nónne Petri hic puppim medijs *Palinurus* in vndis
Gnarus inoffensâ dexteritate regit?
Nempe Petri puppim ſcopulis illidit acutis,
Ipſe nocens ſcopulus ſummus Epiſcopulus.






Cyphus [illegible] prodiisse.

Deniq; [illegible] sede.
Membra tua [illegible] rapido decoquat igne Papa.
Euge Papam qui [illegible] nega
Atq; illam verum Martyris esse Petri? [illegible]
Nōnne Petri hic puppim medijs Pastores in vndis
Gnarus [illegible] dextera [illegible]
Nempe Petri puppim scopulis illidit [illegible],
Ipse nocens scopulus summus [illegible].



Q 2 Epilo-







Epilogus antecedentium.


SIc toti Ausonius Dictator præsidet orbi,
Sic cauponatur Biblia Sacra Dei.
Sic sacra Sacrilegus vendit redimítque, Simonis
Dissimilis Petri, persimilísq; Magi.
Sic multa hæreseωn portenta & plasmata fingit,
Agminis hæretici spirituale caput.
Sic acuit lites, animátq; ad bella Monarchas:
Et gemino Præsul Martius ense furit.
Sic licitante Papâ lex omnis redditur exlex,
Et Canoni (cum vult) dissidet ipse canon.
Sic fas omne nefas sibi *Caiphas* autumat: atque
Quod iuuat, id iustum est: quod libet, idq; licet.
Sic *Roma* exundat vitiorum gurgite pleno,
Hîc quanuis habitet Villicus ipse Dei.
Sic sic Prochristus, Procrustis signa latronis,
Non Christi exemplum mite, typúmq; gerit.
Sic Christi promouit opus cædendo: sedendo
Semper hebes, tardus, bardus, inérsq; fuit.

Sic vendit fumos, ſic plumbea flectit in aurum:
Deniq; ſic Chriſti depeculatur oues.
Non miſſum hunc credis diuinitus eſſe Prophetam?
Credideris noctem veriùs eſſe diem.



De





De ſacris reliquijs, traditionibus, *multiſque inuentis mirabilibus.*

ELEGIA 10.

Argumentum.

O quàm Petriſtas, & myſtas relligionis,
Nugarum nugas conſtat amare Papas?

IAm numeroſa phalanx properans venit ordine (longo
Tranſalpini, acies prodigioſa, patris.
Præſtigijs totum concinnis faſcinat orbem,
Relliquijs prægnans, quiſquilijſq; Lupa.
Quæſo vide (& ride) quæ deridenda propinat
Spectra, matrologus, mythologúſq; pater.
Oſtendit multos (vix auſim credere) clauos,
Quêis Chriſti & fixus péſq; manúſq; cruci.
Chriſtophoræq; crucis pars vna eſt ſalua: ſed illa
Pars partu partes paruula mille tulit.

Heu quod non ſpinæ, cluíque, vncíque colantur,
Haſtáq; Longini cum cruce iure pari.
Háſne habet exuuias tua (Chriſte) Eccleſia ſponſa?
Non (puto) talis erat dos tua (Chriſte) tuæ.
Creſcit in immenſum (creſcendo Eccleſia preſſa eſt)
Traditionum ingens Caucaſeúmq; iugum.
Sacrorum ſummus Myſtes Patriarcha Latinus,
Hîc fundum & fontem Relligionis habet.
Omne Pape regnum fulcitur Traditionum
Antibus: hinc pendet Pontificalis apex.
Hinc Romæ ſplendeſcit honos: & plurima Patri,
Ex iſtâ terrâ fictilis olla nitet.
At per fumoſas quas tradit Traditiones,
Traditor ille ſui eſt, proditor eſtq; Dei.
Gorgona terrificam proiectat Traditionum,
Vt plebs his firmet ſaxea facta fidem.
Agrapha Scripturis exæquat, & impius audet
Nonnunquam Autographis antetuliſſe Dei.
Atramentalis reuerâ eſt Doctor habendus,
Qui præter ſcriptum ſcítq, ſapítq; nihil.
His aſſumentis concinnat Myſta Latinus
Induuias lepidæ, quiſquiliáſque Lupæ.
Has ego ſed Sordes, & amurcas Traditionum,
Nauſeo ridiculas, deſtomachante Papâ.
Non baſis eſt (inquit) fidei ſcriptura: ſed omnis
Traditio interea creditur eſſe baſis.

Non

Non fundamentum, non sit Scriptura columna;
Non fidei gnomon, regula, norma, canon.
Nec scriptura data est, fidei vt Regina præesset:
Sed fidei vt possit serua subesse, data est.
Dogma Papæ fidei basis est, & amussis, & index:
Sed fidei esse basis vox nequit ipsa Dei.
Horrendum, insulsum, delirum, insensile dogma:
Quódq; sat auriculas arguat esse Papæ.
Et tamen indocti in Doctoris dogmate bruto
Implicitè totus pœnæ Papismus inest.
Iamq; venit magnæ Gens scripturaria famæ,
Assecla Gens cathedræ, Gens studiosa Papæ.
Multáq; mira modis scribit miracula miris:
Quêis minimam dubiè dóq; negóq; fidem.
Hi de palponum, colacúmque, & stirpe Gnathonũ,
Impinguant oleo, Pontificale caput.
Hi sunt Pontifici quasi serua cadauera: motu
Quos insensatos fingit agítque suo.
Antichristi omnes incrustant vulnera: verùm
Nil medicina valet percutiente Deo.
Aurea sanctorum memorant annalia Patrum,
In quibus ô siquis nil sapit, ille sapit.
Insipidis scriptis, & scribis infatuatis,
Omne diu punctum Roma prophana tulit.
His librâ & limâ demptis, placet omne quod omni
Momento impostum est, Pontificale iugum.

Mirificè stolidè multi sapuisse videntur:
Et docuisse parum, sed didicisse nihil.
Quorum ego vix digner Musarum scripta culinis,
Ni lacerata coquo thúsq; pipérq; ferant.
Scilicet hi faciunt multos faciendo libellos,
Ne pretio constet charta minore mihi.
Quisquis Apostolicos canones pseudonyma scripta
Esse putat, vero veriùs ille putat.
Decreta at postquam sunt Decretalia dicta,
Relligio cœpit prona labare Dei.
Multa nouellatæ diuortia Relligionis
Dicere non nostri est Martis & artis opus.
Rode vngues viuos, & scinde *Thalia* libellos:
Res renuit claudi Versibus vna tuis.
Sed tamen audendum est : animosa audacia multos
Iuuerit, hæc Marti suggeret arma tuo.
Pullati, albati, co-operti vestibus artis,
Cordigeri bipides, nudipedes pecudes.
Et mendicantes, manducantésq, vicissim,
Vncti Epicuri, ampli, pinguiculi, vituli,
Sunt Romanensis pulcherrima germina Scrofæ;
Tam pulchra fœtu est fœta Latina parens.
Hîc videas multos albatos nomine Christi,
Quêis denigrata est Dæmone vita malo.
Farcire ingluuiem ritè est horaria multis
Relligio, & plenâ lance litare gulæ.

Ieiunant

Ieiunant alij, ieiunantéſq; merentur
(Vt fatui rentur) regna beata Dei.
Quíſq, ſuæ Sectæ eſt obſeruantiſſimus : atque
Tam fugienda facit, quèm facienda fugit.
Lanea huic veſtis, placet illi linea Sectæ,
Sanctiùs hic piſces, ille ligurit olus.
Arctiùs huic vertex glabreſcit, latiùs illi,
Preſſiùs hic ſtringit, laxiùs ille togam.
Hic Auguſtino famulatur; at hic *Benedicto;*
Hic comes eſt ſtolidus (*Carthuſiane*) tibi.
Signifer hic crucis eſt, eſt portitor ille cuculli,
Fortiter his pro aris pugnat, at ille focis.
Hic tuus eſt (*Franciſce*) cliens : addicitur ille
Mancipium (*Antoni* magne Subulce) tibi.
Hic Anachoretas imitatus clauditur antro;
Ille hoſpes mundi ſecula, totus amat.
Sanctulus hic ſanctos, ſanctas prece verberat ille,
Arboris hic Numen, Marmoris ille colit.
Hic factum, hic fictum, hic pictũ, proſtratus adorat.
Hic vnum, hic ſtatuæ flectit vtrúnq; genu.
Hic *Chriſti,* hic *Petri,* hic *Pauli* vult mimus haberi :
Hic Socius bouis eſt, hic ſuis, hic aſini.
Deniq; ſic coeûnt, bos, fur, ſus, atq; Sacerdos :
Atq; huius Sectæ plurimus eſſe cupit.
Eſt tamen omnigenæ Sectæ ſanctiſſimus omnis
Mos ſuus : hócq; poteſt ſanctiùs eſse nihil.

Relligiosorum diuortia Romulcorum
 Dissociare queant, non solidare fidem.
Suntq; alij multi (quos de Sue dico Suitas,
 Nam falsum à IESV nomine nomen habent)
Hos turbatores pacis, folléſque, facéſque,
 Mundus inoccıduæ seditionis habet.
Dissimulat, simulat, gens fraude ac sanguine nata:
 Et lauro gladios insidiosa tegit.
Ante lutheranos satis est hos esse Papistas:
 Hæc fidei summa est, hic pietatis apex.
Euge flagelliferæ quanta est deuotio turbæ,
 Dum nuda assiduo verbere terga secat?
Nempe quater decies (minùs vnâ) hîc flagrio plagas
 Accipit, exemplo (Paule beate) tuo.
Franciscus (memorant) in corpore stigmata Christi
 Portans, stigmaticis classicus author erat.
Solus & hic Domino multùm conformia Christo
 Corpore compuncto vulnera quinque tulit.
Suadeo, ne cesset pietas, plagosa supellex
 Cui desit: tunicam vendat, emátq; sibi.
Sit verò triplici de reste trinode flagellum:
 Inq; crucis formam puncta triquetra gerat.
Quid? quòd fœmineæ sortis numerosa propago
 Militet in castris, cœnobiiſq; Papæ.
Obsequium, & clausæ pietas votaria turbæ
 Nititur indubiâ relligione Papæ.

Relligio

Relligio hæc mirè Nymphas fœcundat: & vltro
Innuptæ matris flebile perdit onus.
Verminat innumeris Soboles Acherontica cellis,
Armentale Papæ, votifragúmque pecus.
Casta satis (si cauta satis) pippire videtur,
Ausoniæ cortis Sanctula pullities.
Omnibus est cryptis, & claustris relligiosis,
More modóque suo sanctior ordo suus.
Ordo suus cuiq; est pro Relligionis amussi,
Orditur fatuam, terminat ordo fidem.
Inter honoratas Secto tot ab ordine Sectas,
Ordo Papæ passim est, exulat ordo Dei.
Heu laudis Cytharas, an litis tympana pulsat,
Romulidum tanto schismate scissa cohors?
Iámq; dies festi properant: Ecclesia Romæ
Laudatrix operis, non studiosa boni,
Tot Mensem festis ornátque, onerátque diebus,
Tota sit vt festus *Delia* pœne Dies.
Tum pedibus sacras adeunt (haud mentibus) ædes:
Et digitis pendunt pensa diurna precum.
Quis non neglectas Christo iurauerit esse
Non intellectas, attonitásq; preces?
Lallantûm, & vastè clamantûm incondita turba,
Stridula rancidulâ cantica nare sonat.
Fracta nimis, contenta nimis, Symphonia vocis,
Grata (vices varians) creditur esse Deo.

Nec non & cytharæ, Sambucæ, Cymbala, Sistra,
 Vasta Giganteo murmure, templa replent.
Mirum, ni tepidi folles bucconibus istis,
 Et iecoris quassi rupta lagena crepet.
Non sic gallinæ Mauortius ille maritus
 Raucisono blæsum fulminat ore melos.
Non sic Arcadiæ rudit pecus, aut mare mugit:
 Aut tonitru inclusum murmura tanta ciet:
Quantum istic tonitru, sonitúq; sonantior omni,
 In resonâ rasus bombilat æde chorus.
Sic matutinas vespertináśq; vicissim
 Ritè preces fundunt, Cœlicoláśq; colunt.
Sic vox pro voto est, pro corde melodia chordæ,
 Atq; Deum clamor, non prece flectit amor.
Sæpius admiror miranda hæc Orgia Romæ.
 Súntq; ea mira satis, sed scio mira magis.
Papæ, bulla Papæ quanti est, culpæq; remissa?
 Vix hæc merx nobis vnius assis erit.
Balsama munda, agnúsq; Dei, teretésq, lapilli,
 Sunt tanti, quanti lana caprina mihi.
Ridiculas Babylonis opes gazáśq; facetas,
 Non nisi vanus amat, non nisi blennus emit.
Ampullas bullas, & plumbea plumea habere,
 Qui sapit, ille solet: qui solet, ille sapit.
Quid memorem fraudes, & quid mendacia multa,
 Multa cathedratus quêis legit æra pater?

Est

Est Papa totius Mercator maximus Orbis :
  Plurimáq; è quauis fœnora merce creat.
Ille est omnigenum condus promúsq; facetus
  Nugarum, & lepidæ Gymnasiarcha scholæ.
Ille tot ad nummos oculatus repperit artes,
  Desit vt his numerus, nomina, meta, modus.
Vt quœstum faciat, nec vectigalia desint:
  Fit mango, cerdo, leno, danista, Papa.
Quicquid is aut tangit digitis, aut signat ocellis,
  Aut pedibus calcat, sanctiùs esse solet.
Quin & cinnameo Præsul sanctissimus ore,
  Omnia mirificè sanctificare solet.
Eructet Satanas contagia gutturis atri :
  Aura salutaris spirat ab ore Papæ.
Quinetiam afflatu sacro (res mira relatu)
  Pneuma dat amsanctum protinus ille suis.
Missificósq; creans, iniunctis pectore toto
  Insufflans, sanctum Pneuma (ait) accipite.
Id Christus quondam cum dixerit : impius esto,
  Qui negat hoc iterum dicere posse Papam.
Omnia nam Christi sunt sancti propria patris;
  Id fidei debet sospitis esse caput.
Et quia quæ Christo tribuunt oracula sacra,
  Simiolo Christi sunt tribuenda Papæ :
Christus vt ingressus Solymas insedit Asello,
  Sic asinare decet, non equitare, Papam.

Omne

Omne genus nugas, & inania ludicra Romæ,
Peruolitare mihi non Satis vna dies.
Ad nummi aucupium multas habet omine fauſto
Excipulas lepidas, decipuláſque, Pater.
Quantùm Pontifici, fraus nunquam profuit vlli,
Omne Papæ regnum ſtatque, vigétque dolis.
Emporia inſtituit magno fulgentia quæſtu,
In quibus ære potes de ſcrobe ferre ſcobem.
Primò infantilis, tandem Antichriſtus adultus,
Multa ſuis proauis commodiora dedit.
At modò febricitant bona vectigalia Patris,
Conſulit huic damno qualibet arte pater.
Quæ Capitolini quondam Iouis extitit Icon,
Nunc piſcatoris dicitur eſse Petri.
Hoc ego non credam, niſi monti quanta mouendo
Sit ſatis, illa mihi ſit ſpatioſa fides.
Tam lata eſt, tam larga fides, tam laxa Papiſtis,
Vt credant, credi quæ Papa cunq, iubet.
Non Petri conclaue diu poſt tempora Petri
Auditum, aut Romæ Seſſio ſancta Patrum.
Et Sacramenti circumgeſtatio paucos
Quo nunc geſtatur more) recenſet auos.
Romani Emporij Princeps ludibria rerum
Vendit, & his gazis ditat Aſyla Dei.
Ad merces emptas redimendas cogit ementes,
Nec fit res illi venditione minor.

Quæ

Quæ vendit, tradit: quæ tradit, ſeruat, habétque,
Et multis vno tempore vendit idem.
Soluentes abſoluit: & indulgentia patris
(Si patri indulges) certa futura tibi eſt.
Scilicet omnigenâ Romani merce propolæ
Theſaurum æternæ (crede) ſalutis emes.
Curre reus Romam, venienti hûc tota ſupellex
Cœleſtis Regni, væniet ære tibi.
Hæccine conceſſa eſt ars cauponaria Petro?
Vix hoc me coget credere bulla Papæ.
Iam verò miranda modis miracula miris,
Omni indigna fide, digna ſtupore, canam.
In templis multis operoſo è marmore ſtructis,
Quæ paſſim oſtentat Roma ſuperba tibi)
De ligno lacrymæ, ſanguis de marmore ſudat:
Id malè qui credit, nil capit inde mali.
Exorciſatur mirando murmure Dæmon,
Cogitur & celerem iuſſus, inire fugam.
Empuſæ, Laruæ, Lamiæq; & cetera ſpectra,
Lædere non poſſunt, id prohibente Papâ.
In ſacro induuntur campanis nomina fonte:
Hócq; ſonante malus Spiritus ære fugit.
Thuricremas adolere ſolent ſuffitibus aras:
Suffitóque ſtatim Dæmona thure fugant.
Nempe ſalutiferâ deuoti Antiſtitis arte,
Terribilis Dæmon territus ipſe fugit.

Sæuiret ruptis Satanas grassator habenis,
Si non sæuitiam poneret arte Papæ.
Commemoratur aquæ benedictæ maxima virtus;
Num vis in Christi Sanguine maior inest?
Concretam illa animæ labem, culpæq; reatum
Eximit: & Satanam non sinit esse ferum.
Saluus eris, si rore sacro lustrabere: quippè
Res omni liquido clariùs ista liquet.
Hemerobaptistas imitantur nempe Papistæ;
Assiduo insani, corpora rore lauant.
O mihi nugones, ioculatorésq; Papistas,
Falsuræ fabros, fraude dolóque satos.
Qui vos has docuit fraudes, & fascina (credo)
In Satanæ, Satanâ doctior arte fuit.
Venditur immenso pretio purissima lana,
Metropolitani fiat vt inde chlamys.
Si mundam ceram Papa vendit, crimina mundat,
Hoc certè certo certius esse liquet.
Nec nihil est digito benedici, ac indice Patris,
Qui negat hoc, septem Pleiadas esse neget.
O quantum in sputo, quantúmq; in Chrismate san-
Et quantum in lacte ac melle Salutis inest? (ct,
At Crucis inuictæ cui signum accesserit, hostis
Dirus in hunc poterit iuris habere nihil.
Circumspectatrix, defendens omnia latè;
Crux animæ scutum est, præsidiúmq; tuæ.

Mira

Mira cano : Crux est protectrix Orbis : & ipse
Diuisum imperium cum cruce, Christus habet.
Non lyra Iessęæ Sobolis, non fimbria Christi,
Non chlamys Eliæ, non mare virga secans,
Cum virtute crucis contendant passibus æquis ;
Crux ipsam Domini vímque vicémque gerit.
Conclauata cruci dum Christi membra fuerunt,
Virtutem indubiè crux bibit illa Dei.
Aêra tranat auis ? crucis hîc manifesta figura
Reminio alarum facta tuetur auem.
Antennâ & malo nauis propellitur : atquî
Partibus ex istis forma fit ipsa crucis.
Vomere tellurem impresso proscindit arator ?
Hîc manifesta crucis prostat imago tibi.
Linea cœlestem transuersa intersecat axem ?
Fit mox in cœlo forma beata crucis.
Tu crucis Oceani apponas in littore signum,
Nec metam hanc vltra progredientur aquæ.
Hausta tibi multum nequeuut aconita nocere,
Si tua depositum muniat ora crucis.
Magne pater (patrone crucis dignissime) tecum
De cruce nunc oritur lísque labórque mihi.
In cruce si quicquam Cacodæmon horreat : horret
Terribilem formam, materiámue crucis.
Materiámne timet ? tum quidni illæsa metalla,
Siue rudes lapides, lignáue pura timet ?

An timor est formæ species, & fictilis Icon?
Tum quin transuersas horret in æde trabes?
Staurolatram pietas agitat vesana phrenitin,
In cruce quando crucem figit inepta sibi.
Sed neque crux talis crucifixum extendit IESVM,
Quale crucis signum plasma Papale dedit.
O Papa nugarum scitissime Dædale) miras
Qui mundo è fundo, diuite fundis opes:
Siccine me solidè stolidum obbrutescere credis,
Figmenta vt credam qualiacunq; tibi?
Tum caput hoc tulero crassum, casśúmque cerebro:
Optabóque triplex sit tua crista mihi.
Relliquijs, tricísq; tuis, nugísque, iocísque;
Iam tandem modus est, non superesse modum.
Omnibus omnigenum plostellis relliquiarum,
Templa profanâsti relligiosa Dei.
Relliquiarum ergo scrutaris operta sepulchra,
Nec pacem occultis manibus esse sinis.
Relliquiarum ergo peregrinas tendis ad oras,
Omnia relliquijs sunt loca plena tuis.
Sic per relliquias, reliquásq; superstitiones,
Vix locus est reliquus (Christe supreme) tibi.
Cuncta tamen saluâ pietate: quòd exulet omnis
Error ab induuijs exuuijsque Papæ.
Scilicet huic solùm est sacrosancta Ecclesia Christi:
Hîc habitat pietas, hîc sine fraude fides.

Iámq;

Iámq; mihi antiqui fecli muccosa suppellex
Scribenti calamum, Calliopénq; ciet.
Multa modò emergunt, quæ quondam immersa tenebris:
Et mirâ rerum rudera, luce nitent.
Ipsa vetustatis sacræ venerabilis Icon,
Signa noui decoris, signa decoris habet.
Mos vetus, antiquæ leges, Ecclesia prima,
Priscáq; traditio, cascáq; relligio.
Omnia sunt Romæ visenda: & tu ambigis vtrum
Sospes adhuc Romæ sit cacodoxa fides?
Inde fidem hanc istic liquet esse; quòd euxlet omnis
Purior hîc cultus, Relligióq; Dei.
Recula quæcúnq; est delata recentula Romam,
Signa vetustatis mox melioris habet.
Iam Gibeonitas firmaueris esse Papistas;
Omnia quæ sua sunt, esse vetusta volunt.
Cauda asinæ mitis, quam Christi tibia pressit,
Nunc auro, & gemmá multicolore nitet.
Iosephi exuuiæ laniantur dentibus æui:
Signáque primæuæ nobilitatis habent.
Includítque piæ lac Virginis obba Mariæ:
Carius hoc certè est, charius estque nihil.
Multa latent multis apothecis rancida sacra,
Quæ portentosam Muiomachian olent.
Qui vocat has Gazas, Sanctæq; aulęa Sionis,
Mulgeat hic Vespas, iungat apésq; simul.

Omnibus hisce tamen (ne te mola conterat iræ)
Vel renuente fide, certus habeto fidem.
Adde quòd ostendant tot Martyris vnius ossa,
Vt vix, aut ne vix, par ferat illa boum.
Sæpius & promunt pro Martyris ossibus ossa,
Qualia compertum est antè fuisse suis.
Vix vnum vnius monumentum lipsana claudat,
In tumulis adeo contumulata tument.
Imposturarum fœcunda puerpera Roma,
Has scitè fraudes asserit esse pias.
At verò quicunq; sapit, deliria vana
Conspuit & gladio percutit illa Dei.
Heu quantum assiduè sancto de Sanguine Christi
Exorbet bibulo Sanctulus ore Pater?
Hic tamen exiguum puro de Sanguine Christi
(Credere si dignum est) sedulus vtre premit.
Strenuus Antistes cacodoxæ relligionis,
Asserit hæc mirè visa placere Deo.
Huic ego Pythagorę non credo: nec horreo quicquā
In caput acta meum fulmina bruta Papæ.
Vana Palatini crepitacula sperno Typhœi;
Sæua Papæ bilis non (nisi pota) nocet.
Illi iandudum stat circumcîsa potestas:
Nec tricoronatum motat, vt antè, caput.
Cumanum hunc olim magni timuere Monarchæ:
Iam post Secta Papæ cornua, nemo timet.

Nempe

Nempe Italus Cacus fumos, fatuiq; furoris
Fulmina, flammato futilis ore vomit.
Deniq, legifero hîc Moſi germana ſuperſunt
Cornua: Sola deeſt nobilis arca *Nohæ.*

Adhuc de ijſdem.

MIrabiliſſima alia ſunt mirabilia.
In vrbe Româ mira, mirandis modis:
Quæ faſce preſſo, & fune complectar breui.
Chriſti capillus, tunica, zona, calceus,
Induſium, redimiculum, ſudarium,
Cœnæ ſuppellex vltimæ, incunabula,
Spongia, corona, lancea, flagra, lintea.
Tænia Mariæ, crepida, pecten, cingulum,
Lacerna, ſtola, peplus, capillus, annulus.
Et quæ tricriſtæ multa legauit Patri,
Pretioſa pulchra, pura, texta Serica.
Multâ repoſtum ſede Baptiſtæ caput,
Cathedra, & enſis, clauis, ac pedum Petri.
Complurimus qui contudit Stephanum lapis,
Mera vera quæ olim Manna de cœlo pluit.
Vngues, & alæ, & roſtra Sancti Spiritus,
Pugio Michaelis, & clypeus Archangeli.

Monumenta belli plurima Euchariſtici.
Multæ entitates, Quidditates plurimæ,
Inexplicabiles, inextricabiles,
De conſecratione controuerſiæ.
  Papæ Baſilica, & aula, & alma curia:
Sceleris Aſylum, docta nequitiæ ſchola,
Iniuriarum machinatrix omnium,
Gurges rapinarum, officina calumniæ,
Regia Gigantum, vulturum collegium,
Æolia turbarum & tumultuum domus,
Et proditorum iuge Seminarum.
  Rerum ſacrarum fœda nundinatio,
Sancto in loco ſtans dira abominatio,
Fidei catholicæ horrenda deuaſtatio,
Cui nunc diabolico abolitæ mendacio,
Succeſſit, & Domum Dei peſſun dedit,
Cacolyca relligio catacatholici Patris.
Religio ficta, falſa, Veteratoria,
Vltra alia Satanæ ſcita mea incognita.
Cadaueroſa, informis, æquiuoca fides,
Stolida, ſtupida, hypothetica, in aëre pendula:
Iniquitatis abditum myſterium,
Impuritatis Sonticum gymnaſium,
Animarum amarum plurimarum pabulum,
Catholica cuius dira ſunt abſynthia,
Nectar venenum, toxicum atrox pharmacum.

Et quæ duellant diſſidentum examina,
Cadmęa progenies, phalanx papiſtica,
Opinionibus varia, opinantibus,
Hoſtilibus tanquam perempti haſtilibus.
Multi Scotiſtæ, cum Thomiſtis plurimis,
Et occamiſtæ, & Gabrieliſtæ plurimi,
Et nominales, & reales plurimi,
Et Syllogiſſi & paralogiſmi plurimi.
Et cœnobitæ, & ſeculares plurimi,
Et Regulares, & gulares plurimi,
Et imperitè ſentientes plurimi,
Et ſat peritè mentientes plurimi,
Et Summa Conſtitutionum plurima,
Et fulminatrices querelæ plurimæ.
Et fulminantes Sanctiones plurimæ,
Et Vaticanæ vanitates plurimæ,
Et plurimæ Sectæ, & Sophiſtæ plurimi,
Et plurimi raſi, & peruncti plurimi,
Et Sanctitates Sordidatæ plurimæ,
Et cælibatus inquinati plurimi,
Et Siderati ardore Zeli plurimi,
Et Parricidæ, & Regicidæ plurimi,
Et plurimi Mimi, & Cinædi plurimi,
Et Dæmogorgones Papæ complurimi,
Et Cardinales purpurati plurimi,
Et glorioſi, & faſtuoſi plurimi,

Et annulati, & infulati plurimi,
Et plurimæ Lupæ, & popinæ plurimæ,
Et plurimæ ſanctæ, & Sacella plurima,
Et plurimi ſancti, & Sepulchra plurima,
Et plurima Idola, & coloſſi plurimi,
Et plurimæ Miſſæ, & legendæ plurimæ,
Et plurimæ vittæ, & tiaræ plurimæ,
Et plurimæ infulæ, & cuculli plurimi,
Et plurimorum armenta fratrum plurima,
Et multa, plura, plurima abſurdiſſima
Epiſcopatus pſeudoli Ludibria,
Epiſcopi Papæ apoſcopi crepundia,
Miraculorum ingentium mendacia,
Mendaciorum ingentium miracula,
Nauigia quæ implerent trecenta oneraria.
O Roma miris plurimis mirabilis.

In Meliſſam.

Hic, apis, haud Elephas, liber eſt: non mole, ſed amplâ
  Commoda lecturis ſedulitate feret.
Parua apis, & paruæ gemmæ, paruíque lapilli:
  Et tua (parue liber) parua minoris erunt?
Inuidiam, ſtulti Theſaurum in pectore geſtant:
  Theſaurum hunc noli (Lector) auere tibi.

FINIS.

Lectori candido.

Libellum, vt equum, πιαίνει δεσπότου παρουσία. *Malè excusa (quæso) excusa authoris absentiâ. Nollem autem puncta haud rectè interpuncta, te vel puncto temporis morari. Quare aut sententiæ seruiant, aut superflua penitùs exulent.*

Pagina 13. versu 16. *lege* poterat. pag. 14. ver. 21. *lege* diuortia. ibid. 24. *l.* tergeminisque. p. 17. v. 10. *l.* lucifugis. ibid. 25. *l.* suprema. p. 19 v. vlt. *l.* Diœcesin p. 20. v. 22. *l.* queritetur. p. 23. v. 7. *l.* vanæ. ibid. 24. *l.* recusabas. p. 24. v. 18. *l.* Papæ. p. 26. v. 10. *l.* exeruisse. p. 37. v. 3. *l.* violentius. p. 38. v. 26. *l.* ouante. p. 45. v. 9. *l.* ignoto. p. 52. v. 2. *l.* amorque. p. 75. v. 7. *l.* cordisque. p. 76. v. 14. *l.* vt igne p. 77. v. 2. *l.* Seruum. p. 81. v. 3. *l.* errorum. ibid. 15. *l.* vndæ. p. 85. v. 5. *l.* flumina. p. 87. v. 13. *l.* sic corpus. p. 88. v 15. *l.* Doctor. ibid. 22. *l.* modo. p. 93. v. 9. *l.* ferunt. ibid. 16. *l.* Sarcophagosque ibid. 25. *l.* pugnat. p. 94. v. 3. *l.* desit. ibid. 17. *l.* ineptus. p. 103. v. 8. *l.* doni. p. 119 v. 8. *l.* matæologus. ibid. 10. *l.* est fixus. p. 120. v. 1. *l.* clauique. p. 121. v. 10. *l.* pene. p. 122. v. 17. *l.* atris. ibid. 22. *l.* pulchro. p. 124 v. 9 *l.* Antilutheranos. p. 127. v. 17. *l.* & inunctis. p. 130. v. 21. *l.* sancto. p. 132. v. 18. *l.* esse. p. 133. 11. *l.* exulet. 137. v. 8. *l.* Syllogismi.